
111

MISCELLANEAE QVAESTIONES

NVNC PRIMVM IN LVCEM EMISSAE.





CVM PRIVILEGIO.

VIVO MORTE



REFECTA MEA.

VENETIIS APVD GABRIELEM IOLITVM ET FRATRES DE FERRARIIS.

M D L.

2.

MISCELLANEAE QVAESTIONES.





Cur natura; quæ rerum omnium est Clementißima parens, uenenata mella procreauit? An ut nos cautiores minusq; auidos redderet? in melle enim facile uenena exhiberi possunt.

Cur Cerasorum radicibus calx admoueri solet? An ut Citius maturescant fructus, præcocesq; fiant?

Cur tantæ Raphano, cum uite intercessere simultates & inimicitiæ? An quia diuersæ existunt naturæ? Raphanus enim adeo frigore gaudet,ut mirãdum in modum excrescat: Vitis uerò frigida loca uitat ac reformidat.

Cur Credidere multi plures esse mundos? An quia plures sæpe conspecti fuere soles, pluresq; lunæ, quas nocturnos soles (non iniuria)appellauimus?

Cur luna multis polluta maculis sæpe cõspicitur? An quia terræ sordes una cum humore rapiãtur? Sydera enim humore terreno pasci; nemo astrorum peritus (quod sciam) unquam negauit.

Cur in arcu cœlesti tam uarij existunt colores? An forsasse mixtura nubium,aeris, atq; ignis id accidit?

Cur in Comitiali morbo aperti oculi nihil cernunt? An

quia tum caligat animus? animo enim uidemus, animo cernimus:oculi uerò, ceu uasa quædam uisilem eius partem & accipiunt & transmittunt.

Cur natura dedit oculos mortalibus lubricos ac mobiles? An ob id factum est, ne ab incursantibus facile offenderentur.

Cur natura parens indulgentißima Venena genuit? An illud effecit, ne lenta nos consumeret tabes, ne fames nos occideret, ne laquei torqueret pœna, aut ferri cruciatus nostra proscinderet ac laniaret corpora?

Cur ueneno interemptos nullæ uolucres, nullæq; attingũt feræ? An quia ueneni uis facillime uescẽtes corrũpat?

Cur Octimestris partus non uiuit, septimestris autem uiuere conspicitur? An quia septennarius (teste Pythagora cæterisq; arithmeticis) ualde perfectus sit?

Cur Catablepa hominem ad mille passus conspectum, interficit?

Cur Alites pleriq; omnes in nostros auidißime inuadunt oculos? An quia in illis propriam intuentur imaginẽ sicq; ad cognata tendant desideria?

Cur, quæ cerebrum non habent, nullo dormiunt tempore? An quia à cerebro proficiscitur Somnus?

Cur dictum est in oculis habitare animos? An quia illos oculorum instrumento ardere, intendi, feros esse, & mitescere conspicimus?

Quam ob causam natura dedit Cocleis cornua? An ut iter prætentarent; non autem ut nocumento essent?

Quam ob causam data fuere piscibus (portione corporum) magna capita? An ut facilius mergerentur?

Quam ob causam Gortineæ in Creta insula platano cuidã

nunquam decidunt follia? An quia sub illa Platano Iupiter cum Europa concubuit?

Quã ob causam nulla fera attingit quæ Vrsi halitu prius tacta fuere? An quia pestilens sit Vrsi halitus faciatq; ut afflata, citißime putrescant?

Quam ob causam Parthorum ora præ alijs omnibus fœtent? An quia indiscretis uescuntur cibis, nimiumq; uini ingurgitant?

Cur animantium alia serius, alia ocius parentes sectentur suos? An quia alia celerius, alia tardius agnoscẽdi uim recipiant?

Cur allia, & Cœpe reconditæ germinant? An quia humore, alimentoq; sint refertæ quamplurimo?

Cur qui singultiunt (si spiritum cohibeant) singultire desinunt? An quia spiritus retentus, interna corporis calfaciat? singultus enim à refrigerante ui oritur?

Cur Seniores multo cum labore & nixu sternutant? An quia foramina, per quæ spiritus prodire solent, in senibus angustiora sint?

Cur sternutaturi, oculos perfricamus? An quia sternutamenta à calore excitentur? Frictio enim calorem ciere consueuit.

Cur bis sternutare consueuimus? An quia binas habemus nares?

Cur frigida in faciem offusa sistitur sanguis, cum profluit? An quia ad hunc modũ calor intus se se colligat?

Cur cum Solem aspicimus, magis sternutamus? An quia Sol calfaciens magis permoueat?

Cur sordes aurium amaræ sunt? An quia putri sudore contrahantur?

Cur fumus tantopere nostros diuexat oculos? An quia infirmi ualde sint?

Cur corporis exercitatio oculorum acumen retundit? An quia sanguinem sicciorem reddat?

Cur suauissime dormientes, rarò somniant? An quia tum nostri sensus suo recte perfungantur officio?

Cur homo, omnium animantium prudentissimus existimatur? An quia pusillum caput habeat? Capita.n.parua habentes prudentiores sunt his,qui grandia nacti fuerint.

Cur uentus, cum mane oritur, diutius perdurat? An quia oriente Sole impetus uehementissimus fiat?

Cur Fauonius semper gratus atque serenus existit? An quia medium calidorum & frigidorum teneat?

Cur Austro spirante, mare Ceruleum fit Aquilone uerò obscurius euadat? An quia aquilo mare minus perturbet? & quod tranquillum est,atrum esse uidetur?

Cur uenti cum frigidissimi sint exsiccant? An quia Frigida uaporem eliciunt?

Cur Cecias uentus; nubes ad se pertrahit? An quia circulari fertur linea?

Cur Fauonio spirante, Canes uestigia ferarum minus agnoscunt? An quia uentus hic, terrã maxime cõtingat?

Cur Thessali simul & non nullæ familiæ in Creta; laudãdo, fascino afficiunt cum uerò infantes illos intuentur in tabem uertũtur? An id fit Cachodæmone cõsuasore?

Cur fulmen non læsa crumena; aurum, quod intus,existit, colliquat? An quia fulgetra quædam adeo tenui sint substantia ut rara permeent? densa uero cum non penetrent,colliquant?

Cur Adamas, solo hircino sanguine mollescit? An quod illi sanguini qualitas à tota insit substantia; qua molliri possit Adamantina uis?

Cur mala medica insperso in eorum cumulum, pane, flaccescunt? An quia tritici facultas alienum humorem attrahat, sicq́; flacescere cogat?

Cur si Timpanum è lupino corio confectum concutiatur, ea dissoluuntur Timpana, quæ ex agnino corio constata fuerint? An quia dura diuerberata uim mollibus inferant?

Cur herculeus lapis ferrum ad se se trahit? An ab abdita ui id contigit?

Cur Adamas & Electrum pilos, & surculos attrahunt? An à peculiari potestate id euenit?

Cur Auster fœtidi halitus causa existit? An quia humida et calida reddat corpora, quæ postea sunt putredini maxime obnoxia?

Cur Vtres inflati fluitant? An quia aer sursum efferatur?

Cur aurora frigidior est quàm uespera? An quia altera noctis medio propior sit, altera uerò meridiei?

Cur feruidis temporibus molestiores solent esse noctes? An quia tum flatus omnes conquiescant?

Cur Cœlum nubilum tepidius est quàm apertum & serenum? An quia stellæ (ut antiqui senserunt) frigidæ sint?

Cur leo gallinaceo terretur cantu? An quia cum ambo solares sint, maiore tamen fauore fulciatur Gallus, quàm Leo?

Cur Taurus, ficui alligatus, ilico mansuescit? An quia ficus latis scatens follijs terrorem incutit?

Cur Brasicæ & Rutæ tanta est inimicitia. ut iuxta seri n

queant? An quia diuerso sint ingenio?

Cur Cucumis; subiecto oleo, curuatur? An quia oleum mollescere cogat, quæ uicina sunt?

Cur qui rigent liuidi efficiuntur? An quia sanguis; adueniente frigore gelascit? congelatus uerò præ caloris inopia nigrescit?

Cur Soli homini sanguis è naribus profluit? An quia plurimum cerebri habeat, sitq; hominis cerebrum humidissimum?

Cur tam uaria homines proueniunt statura? An id locorum, alimentorumq; uarietate ac discrimine prouenit?

Cur mares proceriore solēt esse corpore, quàm fœminæ? An quia natura calidiores sint?

Cur Animantium alia sunt ualde numeroso partu, ut sus, ut canis, alia uerò minus, ut leo, & Elephas? An id Accidit, quia alia uteros habeant multos, alia uero per paucos?

Cur raro Bruta cum dormiunt semen emittunt? An quia supina more hominum non recubant?

Cur oleum aquæ non admiscetur? An ob insitam leuitatē? est enim ualde aereum.

Cur homo maxime sternutet? An quia meatus continet ampliores, quàm cætera animantia? per illos uerò meatus spiritus, odorq; subeunt:

Cur nullius animalis lingua pinguis esse conspicitur? An quia pingue densum esse consueuerit, linguam autem rarā esse oporteat, ut saporū genera percipere ualeat?

Cur fœminæ intento corpore mingunt: mares autem minime? An quia fœminarum uesica cum longitudine, tum profunditate remotius sita sit?

Cur iuba nulli hominum data fuit? An quia satis esset barbam habere: quæ decoris plurimum affert?

Cur aurum, neque aquam, neque oleum imbibit; argentum autem uiuum raptim utrunq; ebibit? An ob auri densitatem; uel argenti caliditatem simul & raritate id accidit?

Cur animalia somnum perficiunt, nũc uigilando nunc dormiendo? An quia frigidam habeant illam partem, quæ excrementa percoquit?

Cur micturientes coire nequeunt? An quia tum meatus repleti sint? quod autem humore plenum est, nullum amplius potest humorem suscipere:

Cur Coitus suauitate, iucunda omnia superat? An quia semen à toto defluat corpore?

Cur Venus uentrem refrigerat & exiccat? An quia concumbendo calor excernatur?

Cur qui ueneri dant operam, hircus olent: pueri autẽ minime? An quia puerorum spiritus humorem concoquere potest, uirorum autem non potest?

Cur æstate in coitu, strenuæ magis sint fœminæ, quàm mares? An quia tum demittantur flaccescantq; testes.

Cur cum coire cupimus, id aperte proferre non audemus? An quia cupiditas illa necessaria non sit, quemadmodum edendi, aut dormiendi.

Cur Melancolici libidinosi existunt? An quia flatu plurimo redundant?

Cur aues, pilosiq; homines, libidine potissimum agantur? An quia humoris plus satis in se habeant?

Cur Coeuntibus oculi in primis ægrotant? An quia tum humor deficiat?

Cur in itinere, fœmoribus potißimum laboramus? An quia continui cuiusq; pars media magis laboret?

Cur somnus his magis accedat qui dextra parte cubant? An quia uigilantes sinistra cubare soliti sumus?

Cur cum torpemus, manibus in primis ac pedibus torpea mus? An quia hæ corporis partes, carnis sunt maxime inopes; neruis uerò plurimum abundantes. quæ autem huiusmodi sunt, ad refrigerationem facile percurrũt.

Cur agri stercorandi sunt? An fortasse ne algeant, sicq; sterilescant?

Cur qui loca habitãt calida, diutius uiuant? An quia humorem caloremq; melius seruent? quorum interitus mortẽ affert, uel accidit, quia natura sicciore sunt?

Cur hiberno tempore minus olfacimus? An quia aer à frigore immobilior reddatur?

Cur Vrina fœtidior sit, si diutius in corpore permanserit; stercus autem minus? An quia stercus quò diutius retinetur, magis exiccetur? quod uerò siccius est; putredini minus obnoxium existimatur: contra autem urina semper Craßior effici solet.

Cur flores contusi, deterius olent? An quia pars terrestris; quæ flori inhæret; Odori sese commiscens, odoris uim labefaciat?

Cur agrum malo celere censorium probrum iudicatum est? An ut Ciuibus omnis ex animo excuteretur socordia?

Cur perniciosus existimabatur ille Ciuis cui septem iugera non satis essent? hæc enim mensura post exactos Reges aßignata est? An ut disceremus paruo contenti esse?

Cur imperatorum manibus colebantur priſcis temporibus agri? An ut exultante terra uomere laureato, ac triūphali aratore, copioſius gigneret; lætioraq́; prodirent omnia?

Cur nunc terra facta eſt ſterilior? An quia illam uincti pedes, damnatæ manus & inſcripti exercent uultus, quæ antea regijs coleretur manibus?

Cur apud Romanos *tam ſera fuit uitiū cultura? An quia illorum præſagiret animus fore, ut uino ebetiores fierent* Romani *ſenſus, extinguerentur uires, & eorum fœteret anima?*

Cur ex uillis, qui ſcribebantur milites, bello maxime apti credebantur? An quia ruri; aſſueti eſſent humi cubare, æſtus immodicos perferre, ac duriter uiuere?

Cur præceptum eſt ut agros paraturi maxime obſeruarēt qualem uicinum haberent, & ne aquarum ui & impetu lædi poſſent? An quia ab hiſce rebus magna imminerent pericula? quid enim aqua furacius? Quid malo uicino deteſtabilius?

Cur depoſitum negare iniquius eſt, quam mutuum non reddere? An quia amico iniuriam facere turpiſsimum exiſtimetur? nemo enim quicquam deponit, niſi admodū credens, plurimumq́; fidens.

Cur uinū epotū poſt putre pomum, amarum eſſe ſentiatur? An quia putredo amaritudinem habere ſoleat?

Cur ficus cum dulces & molles ſint, dentes tantopere lædant? An quia gigniuis ſuo lētore adhærere ſoleāt?

Cur noctu, aut bene mane, non autem meridie, irrigamus quæ irriganda ducimus. An id fit ne ſolis ardor humorem actutum abſumat?

Cur sonus desinens, acutior esse consueuit? An quia tum factus sit imbecillior?

Cur timidi sint qui loca habitant calida, fortes uerò qui frigida incolunt? An quia ab exteriore frigore densetur caro? cuius densitate colligitur postea calor; nam natura multo aliter se habere solet, quàm loca & tempora sese habeant.

Cur neque fœcũdißimis locis insaluber parãdus est ager, neque effœtis saluber? An quia si loco insalubri fertilem agrũ pares, illo nõ diu frui queas, si uerò in salubri loco agrum habeas, nimis sudandum ac laborandum sit?

Cur tritico nihil est fertilius? An quia cibus hic maxime alat? multam enim ei natura fertilitatem tribuit.

Cur uetarunt antiqui milium & pannicum inter frugiferas uites arboresq; seri? An quoniam eiusmodi satu terram emacrari existimarint?

Cur panis fermentatus azimo pane magis probatur? An quia salubrior sit ualidioraq; efficiat corpora?

Cur pictores ad Persicum usque bellum, annis ab urbe condita super quingentis octoginta Romæ non fuerint? An quia fœminarum opus id esse crederent?

Cur coquos non habebant ueteres in eorum seruitijs, sed ex macellis cõducebant? An quia à delitijs abhorrerẽt?

Cur sermone omnium percrebuit apud Campanos plus unguenti esse, quàm apud reliquos olei? An quia segetes quæ illic creuere, fundere soleant rosam, satiua odoratiorem? adeò terra illa parere non cessat.

Cur cauendum ne nimia sit stercoratio? An fortasse, ne agri adurẽtur? Satius est enim id sæpe factitare quàm

supra modum semel id efficere.

Cur grana illa quæ Areæ imo subsiderunt, ad semen asseruantur? An quia grauissima sint, ob idq; optima iudicentur.

Cur Hesiodus qui Coriphæus, est eorum omnium qui de agri cultura præcepta tradiderunt; unum serẽdi tempus ad uergiliarum occasum præscripsit, cum multo aliter plærisq; in locis fiat? An quia scribebat in Beotia; ubi ex soli Cœliq; ratione, ita seri oportebat?

Cur non serendum antequàm follia deciderint? An quia Vergiliarum occasum metuimus, qui facile obesse consueuit?

Cur Pulegium brumali floret tempore? An ut serendi signum sit?

Cur triticum serius metiri debet? An ut copiosius inueniatur?

Cur in tritico crescere solent pusilla quædã animalia? An id euenit quia spissitate sua concalescit & crasso furfure conuestitur?

Cur triticum multi amurca aspergunt? An ut diutius incolume seruetur?

Cur qui frumenta seruant, tam diligenter operam dant, ne ullus penetret spiritus? An id fit, ne quicquam maleficiũ & nocens innascatur?

Cur interlunio legere expedit, quæ legenda sunt in agris? An ut uitijs careant quæ leguntur?

Cur Mulierem interficere tantopere detestatur, cum mas præstantior excellentiorq; sit? An quia imbecilior sit fœmina; nec uim illatam facile propulsare queat?

Cur difficilius sitim, quàm famem toleramus? An quia quicunque sitit; duo expetere soleat, nempe, cibum ac

refrigerationem, qui uerò exurit, alterum tantummodo appetit.

Cur fœcundæ aues fugaciores sunt, quàm fortes. An sic prospexit natura, ut aliquo modo fortioribus resisterent?

Cur Auium oua tam sunt fragilia? An ex calore multo id euenit?

Cur serpentium oua; tam sunt lenta? An ex frigiditate plurima id accidit?

Cur piscium oua mollia sunt? An propter liquoris copiã?

Cur Hadrianis gallinis tanta olim laus extitit? An quia ualde fœcundæ essent?

Cur impari numero oua subijci debeant? An quia Deus impari gaudeat numero?

Cur illæ gallinæ meliores sunt quæ impares habent digitos? An quia numerus impar sit felicior?

Cur laurus est commune decus, cum Vatum, tũ Fortium uirorum? An quia nullum genus hominum, æq; à Dijs ametur, atque uates ac uiri fortes? Canunt enim poetæ quæ fecerunt fortes uiri. & fortes agunt quæ canant poetæ.

Cur uirorum Cadauera supina fluitant, fœminarum uerò prona? an quia sic natura fœminino pudori pepercerit?

Cur nonnulli uisuntur, qui nec sitim sentiant, nec sudorem emittant? An quia concreta habent ossa; carentq; medullis?

Cur cerui amißis cornibus latent? An quia omni præsidio destitutos se esse intelligant?

Cur Asclepiades; Vini potentiam Deorũ potentiæ æqualem esse tradidit? An quia uino aluntur uires, sanguis, colorq; hominum. Iuuantur nerui, iuuantur oculi,

refocilletur stomachus; ciborum appetentia excitetur, tristitia animi hebetatur: urina & algor expellitur Somnus conciliatur; & uomitiones sistuntur; & semicrudi humores concoquuntur?

Cur Campani *semper habiti fuere superbi? An illud euenit bonitate agrorum, urbisq; pulchritudine?*

Cur Colophonij *&* Castabelenses *canum cohortes alebāt? An ut illorum opera in bello uterentur?*

Cur inuenta sunt uina resina condita? An ut frigidis stomacis opem feramus? hoc certe uini genus excalfacit, concoquit, purgat; pectori uentriq; perutile est:

Cur Athenienses Aeginetis *pollices absciderunt? an ut ne hastam amplius ferre possent, aut remis ad nauigandum uti?*

Cur Boeti *cæteris stupidiores habentur? An propter edacitatem ut* Plutarcus *affirmat?*

Cur acetum Nicander *Colophonius tantopere laudat? An quia illi summa uis insit in refrigerādo; summa itē in discutiendo? adde, quod fastidia tollit, singultus cohibet, sternutamēta sistit; stomacho non sine magna utilitate gargarisatur, medetur canis morsibus et scorpionum ictibus, contra lichenas bibitur, ueterem tussim inhibet: & gutturis* Rheumatismos *sanat.*

Cur Egyptij Helephantiasi *maxime corripiuntur? An propter calores nimiosq; æstus?*

Cur fulgetra quæ à leua ueniunt; prospera existimantur? An quia à leua mundi parte oriens existat?

Cur fulgetra hominem non semper extingunt: cætera uerò animalia mox interimant? An quia hunc honorem soli homini tribuit natura?

Cur Turres bellicis temporibus desiere fieri? An quia sœpe fulmine diruebantur?

Cur de Athéniensibus tale fluxit adagium; Atticus moriēs manum porrigit? An quod Auaritiæ morbo laborarint?

Cur apud Armenios rubentes quandoq; uisuntur niues? An quia loca illa minio scateant?

Cur olim Britani inficiebant se glasto? An ut hostibus horridiores uiderentur?

Cur Aegyptij proripientes se è lectulis corpus resina solebant suffire? An ut aerem disgregatione expurgarēt.

Cur dißident Olores & Aquilæ, Corui & Miluij, Cornices & Noctuæ? An propter dißimile ingenium.

Cur potus ex niuibus atq; ipso gelu, insalubris est? An quia euanuerit quod tenuißimum erat?

Cur tandem cœpta est manducari lactuca; quæ antea ob quandam religionem non edebatur? An quia illa seruatus sit Augustus Antonij Musæ prudentia; cum graui morbo implicitus esset?

Cur uinum intus haustum calefacit; foris autem infusum refrigerat? An quia potum calidum sit; & aperiendi uim habeat?

Cum Puccinum uinum a Liuia Augusta tantopere fuit adamatum? nullum enim uinum medicamentis aptius habebatur Puccino: An quia crediderit(ut ipsamet palam testata est) ei uino acceptos referre uitæ suæ annos. LXXXII.

Cur Surrentina uina, citra omne periculum ægrotis exhibebantur? An id fiebat propter eius tenuitatem ac salubritatem?

Cur multi, mel à mensis remouent? An quia stomachum inflat, bilem auget, fastidium creat, tormina facit, & oculis inutile sit?

Cur Mellis tanta fuit apud multos authoritas? An quia aculeos & corporibus infixa tela extrahat? tubera discutiat, dura concoquat, neruorum dolores mulceat, corpora putrescere non sinat, ulcera iam desperantia cicatrice includat; Faucibus, Tonsillis, & Anginæ utilissimum sit.

Cur fici succus lacteus; coaguli modo; lac contrahit? An quia aceti uim habeat?

Cur maturæ ficus, sunt autumno insalubres? An quia huius usu corpora sudantia refrigescant? adde, quòd urinam ciunt, aluum soluant sudorem inducant, papulasq; procreent.

Cur Athletæ (quos tamen Pithagoras ad carnes transtulit) siccis ficubus alebantur? An quia corpus reficiant & uires augeant?

Cur uitis inhibenda est fœcunditas? An quia talis sit naturæ, ut parere malit quàm uiuere? quid quid autem materiæ decedit, fructui accedere consueuit:

Cur uitis non summa fodienda est diligentia? An quia si plus iusto foderetur, tenerescerent acini, & rumperentur?

Cur Atinia ulmus uitibus non adiungitur? an propter nimias frondes quibus illam natura conuestiuit?

Cur apud nonnullos uites salicibus coniunguntur? An id fit propter soli uliginem?

Cur formicosam arborem cauent mures? An quia eiusmodi arbores humore careant?

Cur tam amici Pauones & Columbæ, Turtures & Psittaci, Merulæ ac Turdi? An quia simili sint natura?

Cur Vrsi, urgente uenatore, et præcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus caput operiunt? An quia infirmißimum caput habere se intelligant?

Cur gregatim natant Aues? An id faciunt ne infestentur? respersu enim pennarum insequentem occæcant hostem.

Cur Bubo funebris est, maximeq; omnibus odio; publicis præsertim auspicijs? An quia deserta & inaccessa loca incolat? certe noctis monstrum esse, non cantu aliquo uocali; sed gemitu, se esse facile declarat.

Cur Hirundines Thebana tecta recusant subire? An quia sæpißime captæ fuere? Istuc ipsum faciunt & Biziæ, et in Thracia obterei scelera.

Cur hirundinum flexuosi sunt uolatus? An ne cæterarum alitum rapinæ obuiæ sint?

Cur formicæ semina arrosa, condunt? An ne rursus in fruges exeant?

Cur suadet Hesiodus ut iuxta obstantia, urina reddatur? An id suasit ne deum aliquem nudatio offenderet?

Cur omne æs sæuiente frigore melius funditur? An quia ignis ab aeris frigidate uehementior reddatur?

Cur aurum quod in fluminibus reperitur; ut in Pactolo Asiæ, Pado Italiæ, Gange Indiæ et Hebro Trhaciæ, multo perfectius est illo, quod eruunt Formicæ apud Indos, & Griphes apud Scythas? An quia ipso fluminis cursu teritur melius ac perpolitur?

Cur aquæ profluentes, meliores sunt stagnantibus? An quia aßiduo cursu extenuantur?

Cur aqua cisternæ quæ non fluit, maxime probatur? An

quia

quia leiusculа existimatur?

Cur pectus tantum lorica ueteres tegebant? An ut spem fugæ pugnaturis eriperent?

Cur in Cœlum relata est canicula? An propter adseruatum Icari corpus?

Cur Licaon est in lupum conuersus? An quia humanarum carnium cibo Deos uiolauit?

Cur futura sentiunt morituri? An quia corporis graui mole exonerari incipiant?

Cur mulsum ex uetere uino utilius est? An quia facilius cum melle miscetur?

Cur albæ uuæ nigris præstantiores sunt? An quia ex trãslucido facilius accipiatur aer?

Cur damnantur Recentes uuæ? An quia stomachum & spiritum inflant, & grauedinem capiti, morbumq́; lethargicum faciant?

Cur illæ Vuæ innocentiores habentur, quæ decerptæ diu pependere? An propter uentilationem hoc euenit?

Cur qui fulgura metuunt, tabernacula pellibus belluarum quas uitulos marinos appellant, contecta, incolunt? An quia hoc animal fulgure non percutitur, ut nec aquila, nec laurus?

Cur terra ipsa maternum nomen est adepta? An quia nos nascentes excipit, natos alit, semelq́; editos semper sustentat, benigna sit, mitis ac indulgens, & nunquam nobis: quamuis grauiter pecantibus succenseat?

Cur minime negligenda Poetarum lectio? An quia in poetarum fabulis, nostri effícti sunt mores; expressaq́; cottidianæ uitæ imago?

Cur honestã mortem imprimis optandam monuere sapien

tes? An quia uitam ſæpe turpem exornat?

Cur potentiæ adnectenda eſt ſapientia? An ne in Tyrãnidem uergat; multaq; præter æquum & bonũ fiãt?

Cur dictum eſt à ſapientiſsimis hominibus, animos noſtros eſſet ueluti lucernas? An quia mutuo ſe accendunt & illuſtrant?

Cur adamãda paupertas? An quia nos maxime induſtrios uigilantesq; faciat?

Cur ſtatuerunt Maiores noſtri, ſi à multis eſſet flagitiũ rei militaris admiſſum, ſortitione facta in quoſdam animaduerteretur? An ut metus ad omnes; pœna autem ad paucos perueniret?

Cur non temere pugnandum? An quia incerti ſunt præliorum exitus?

Cur uirtutis ſimulacrum præcinctum depingebatur? An ut diſcerent uirtutis amantes, debere expeditos eſſe non pigros aut torpentes?

Cur Apollineis ſagittis interemptus eſt Tytio & à Ioue graui pœna apud inferos damnatus? An quia Latonæ concubitum uiolenter affectauerit?

Cur maris pars quædam, Aegeum mare appellata eſt? An quia crebræ inſulæ quæ in illo maris tractu ſunt; caprarum præſe ferant imaginem?

Cur Iupiter triphido utitur telo. Pluto triplici cerbero: Neptunus tridente? An ut intelligeremus hæc tria numina, rerum omnium ius & poteſtatem habere?

Cur uindicta, nemo magis gaudet quàm fœmina? An id euenit, ob nimiam animi impotentiam?

Cur Babylon urbs ampliſsima dicta eſt penſilis? An quia pauimentum omne teſtudineum eſſet?

Cur à nonnullis quattuor Elementa dicta sunt Geniales Dij? An quia Genius sit nascendi & naturæ Deus? nō enim dubium est, quin ex elementis omnia nascūtur?

Cur dicta est aqua? An quia sit illa; à qua uiuimus?

Cur clarißimorum hominū statuæ erectæ uisuntur? An ut ad uirtutem magis inflamemur et excitemur?

Cur Dea pallas, Medusam; homines in saxa uertentem in scuto gestare consueuerat? An ut doceret illos planè stupidos esse, qui sapientiæ aduersarentur?

Cur Vates tripode utebantur? An propter tria tempora, quæ considerare soliti sunt?

Cur flumina, quæ anguillis scatent; salubritatem indicant? An quia Anguillæ putridis uescantur?

Cur in Mesopotamia unus sit fons bene olentis aquæ? An quia illo Iuno perfusa sit?

Cur Nero decoquebat aquam; uitroq; demissam in niue refrigerabat? An ut uoluptas frigoris, sine ullo niuis uitio contingeret?

Cur Aqua semper dulcis in Argilosa terra; frigida autē semper in Topho? An quia argilosa terra pinguior sit? Tophus aūt rarior cū sit, frigidior esse consueuit.

Cur omnis aqua hieme dulcis deprehēditur, æstate minus, Autumno autem etiam multominus? An à nostri gustus diuersitate id prouenit?

Cur ambusta feruentibus aquis ouo statim occupantur? An id fit, ne pustulas sentiant qui læsi fuere?

Cur fœniculum Anguibus gratißimum? An quia illius usu amissam uidendi uim recuperant?

Cur Pruinæ perniciosa est natura? An quia lapsa persidet, gelatq;, nec ulla depelli potest aura?

Cur sues multis in locis tanto aluntur studio? An quia ex nullo alio animali, numerosior sit ganeæ materia? hinc enim Censoriarum legum Paginæ, interdictaq; cœnis abdomina: adde glandia, Testiculos, Vuluam, Sincipita uerrina lumbos Aprinos; & Aprinum Callum tantopere ab helluonibus adamatum.

Cur mures candidi lætum faciunt ostentum? An quia fausta magis sint candida quàm atra?

Cur Braßica in Aegypto non æstur? An propter amaritudinem quam in se habet?

Cur Palmæ, quæ Myrabolanos in Aegypto ferunt maxime expetũtur, ac præ alijs probãtur? An quia ossa nõ habent?

Cur Poppea Neronis uxor tanti æstimabat Asinarũ lac? An quia traditum esset à peritis hominibus, illius usu; cutem in facie erugari, carnem tenerescere, & candorem uel acquiri, uel custodiri?

Cur carthaginenses fraudolenti & mendaces? An illud natura loci euenit?

Cur Veteres nostri, Dolia olearia, cadosq; omnes amurca imbuebant? An ne oleum biberent ipsa Dolia?

Cur Amurca, Areas terendis meßibus subigebant? An ut Rimæ obstruerentur longeq; abessent formicæ?

Cur Veteres, ligna, amurca macerabant? An ut sine fumi tedio arderent?

Cur Diocles rapam tantis extulit laudibus? An quia illi uis insit medica? feruens enim perniones sanat, frigus pellit à pedibus (si in aqua decoquatur) ius uerò feruens, frigidis medetur podagris; tusa autem cum sale, cuicunq; pedum uitio admirabilem fert opem?

Cur Vrticam Phanias medicus excellens tantopere laudat? An quia ex ea fiat oleum: eiusdem semen Cicutæ aduersetur, item fungis, argento uiuo, & salamandris, letargicos etiam expergefaciat; Sanet Panos, Curet Parotidas: profluuia narium sistat, milleq; scateat remedijs?

Cur censebant Carthaginenses; ditißimos esse magistratibus admouendos? An quia crederent ab ijs incorruptæ, magistratū geri non posse, qui inopia premerētur?

Cur Hominum alij planè stollidi sunt, alij prudentes? An id dicemus ex sanguinis diuersitate oriri? stollidis enim frigidus est sanguis, calidus uerò prudentibus.

Cur Veteres porcum Cereri; Caprum uerò Baccho consecrarunt? An id factum est, quoniam alter segetes, alter uerò uites lædat?

Cur fit terræ motus? An uento in terræ uisceribus incluso?

Cur pestilens Autumnus? An ab aeris in certitudine et uarietate qui modo calidus modo frigidus est?

Cur tolerare famem perniciosum existimatur? an quia stomachus putridis repletur humoribus?

Vnde fit canicies? An ab humiditatis cōsumptione? uel à cutis uitio, quod Vitiliginem appellant medici, uel potius ab ariditate?

Cur Moscus è quo tā suauis emanat odor, respuitur ab his q̄ debili sunt cerebro? An quia nimis fortiter exhalat?

Cur crocus, lignum aloes & ambar à multis expetuntur? An quia cerebrum corroborant?

Cur ignis accensus ex lignis cupreßi, iuniperi, & lauri maxime probatur? An quia aeris malitiam corrigit?

præcipuisq; membris non mediocre robur afferat ?
Cur non comedendum si nausea adsit ? An quia sic facile oriatur podagra, dolor iuncturarum, Epatis durities, & alij morbi è pituita nascentes ?
Cur parce bibendum? An ne potus in stomacho fluitet ?
Cur Agninæ uitantur Carnes? An quia pituitosum gignũt sanguinem ?
Cur multi à coturnicibus abhorrent? An quia nõ facile cõficiuntur, & nauseam creant ?
Cur salitæ Carnes à multis adamantur ? An quia stomachum labentem erigant ?
Cur anteriores animalium partes imprimis expetuntur ? An quia calidiores sint ; concoctuq; ualde faciles ?
Cur Animaliũ medulla in cibo non probatur ? An quia stomachum perturbat & appetendi uim labefacit?
Cur Pulmones ab alij appetuntur & ab alijs respuuntur? An quia alij, frigido atque humido sint temperamento, alij uero calido & sicco ?
Cur splen rarò editur ? An quia mali sit succi ?
Cur Persica sunt ante alios fructus edenda ? An quia sint corruptioni maxime obnoxia ?
Cur aqua est post ficus potanda ? An quia leniendi uim quam natura habent, augeat ipsa aqua ?
Cur siccæ ficus uirentibus præstantiores sunt ? An quia epatis ac plenis obstructiones melius aperiunt ?
Cur Amigdalis saccarum adijcitur ? An ut leuius alimentum exhibeant ?
Cur Auellanæ torrefactæ & saccaro conditæ cæteris magis probantur? An quia ad hunc modum epati cõferãt?
Cur mora ante alios cibos sumuntur ? An quia uentrem

maxime leniant?

Cur nuces ficubus admiſcẽtur? An ut eorum malitia corrigatur? ſunt enim natura ſtomaco graues, Concoctioni contumaces, uomitum laceſſentes capitiq́; & pectori mirum in modum nocentes:

Cur à uomitu parcius edendum? An quia ſtomacus debilior ſit factus?

Cur Poetæ in tanto fuere prætio & honore? An quia diuino afflantur ſpiritu?

Cur Humaniora ſtudia cæteris ſunt prælata ſtudijs? An quia ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, & aduerſis perfugium ac ſolatium præbent?

Cur bella potiusquam pacem, multæ adamarunt nationes? An quia bellis excitamur ad uirtutem, pace uerò diffluimus ad uoluptatem & luxum?

Cur exiſtimatum à ſapientibus uiris adulationem prodeſſe mortalibus? An quia facit ut perſpiciamus quales eſſe deberemus?

Cur Aurum prius Dalmaticum dicebatur? An quia Nerone imperante, Auri plurimum in Dalmatia repertum ſit?

Cur Athenienſes Victores olea coronabant? An ad Mineruæ honorem quæ oliue inuentrix fuiſſe creditur, id fiebat?

Cur minime iraſci decet. An quia ueteres dixere iram eſſe inſaniæ meditationem.

Cur principibus uiris in primis adamanda eſt iuſtitia? An quia uirtutum omnium mater?

Cur uitandi aſſentatores? An quia ſint quibusuis hoſtibus deteriores?

Cur natura binas dedit aures, os uerò unum? An ut duplo plus audiremus quàm loqueremur?
Cur uitãda est calumnia? An quia nihil acutius sit; nullusq; hostis inueniri poßit nocentior?
Cur sapientes; comunibus uescebantur cibis? An quia Comunes cibi robustiora efficiant corpora?
Cur multi sapientes uiri spreuere diuitias? An quia stollidos reddant homines?
Cur persæ ausuefaciebant liberos uera prædicare? An quia creditum sit Cœli ciuem esse ueritatem, & solam Deorũ conuictu frui? adde, quod nullam præmeditationem ueritas deposcat:
Cur est auersanda intemperantia? An quia hanc sequatur ordinis perturbatio, negligentia, & dissolutio?
Cur multi graues uiri spretis diuitijs paupertatem amplexati sunt? An quia paupertas sit magistra morum. & ingenij fomes?
Cur ueteres dixere amorem esse Deũ et inter dæmones supremum? An quia multo melius doceat humanæ uitæ rationem quàm quilibet sophista? adde, quod amor, etiam Dijs ipsis pro arbitrio imperet, tenebras offundens etiam ijs qui oculatißimi esse uidentur?
Cur pulchritudo tantopere adamatur? An quia scripserint Græci poetæ, esse Dijs suauißimam, hominibus gratißimam. poßidenti minime molestam, & inter bona omnia maxime conspicuam?
Cur multi uitant pulchrorum consuetudinem? An quia Tyrannidem inesse sentiant? adde quod ignis tangentes solum adurat; pulcher uerò etiam longe distantes tabefieri cogat?

Cur fugiendæ pecuniosæ uxores? An quia pecuniosa uxor non sit uxor, sed uerius imperiosa domina?

Cur mors optanda? An quia omnium malorum remediū sit? adde mortalium portum & quod mortuos nullus consequatur dolor amplius:

Cur pili operti ocyus canescunt, quàm aperti & difflati? An quia maiori abundāt humiditate?

Cur à posteriore capitis parte nemo caluus efficitur? An quia illa pars non adeo sicca existat?

Cur mulieres pueri, & spadones Calui non sunt? An ob multam humiditatem?

Cur in Caria mulieribus quæ sacerdotio funguntur pili in mento prodeunt? An ut sit diuinationis inditium?

Cur multa extant animalia, quæ perparce bibant? An quia pulmonem (ut ita dixerim) fungosum habent?

Cur qui uiperas uenantur uina in fictilibus uasis collocant & ad sepes disponunt? An quia compertum sit uini auidas esse & non nisi ebrias capi posse?

Cur sæpe conspicimus lupos & canes herbas edere? An ut herba in os ingesta facilius euomant, cum ægrotant?

Quare satagimus ut sues Cœno sæpe se prouoluant? An ut pinguescant?

Cur tam libenter aluntur ab aratoribus Boues Eruo & faba? An quia illa quæ flatū mouent faciunt ut pinguescant animalia?

Cur meridianus somnus sit uitandus? An quia gignat humores corpus nimis humectantes, colorem perdat & corrumpat, neruos laxet & pigros reddat? Vnde fit cordis tremor? An à copia biliosi & flatulēti sanguinis?

Cur nimis cocti caules auersantur? An quia malus ex his

gignatur sanguis ualdeq; fœtidus?

Cur natura tam paucos pedes uolucribus concesſit? An quia sciret pennarum adiumento id abunde compensatum esse?

Cur os concisum, nunquam recrescit, & Cartilago fracta nunquam reficitur? An quia membra eiusmodi spermatica sint?

Cur ossa nec flecti nec findi possunt? An quia insigni sint duritie?

Cur in Ethiope dentes non sunt nigri, ut ipsa cutis? An quia dentes naturam osſium emulentur?

Cur in multis locis castrantur Cerui? An ne cornua sint decidua; quæ res solis euenit ceruis.

Cur in Phrigia boues mouent cornua? An quia cornua cuti hæreant, non autem osſi?

Cur nonnullis animalibus duriores enascuntur pili? An propter cutis duritiem id euenit? pabuli etiam bonitas solet duriores pilos, in molliores uertere.

Cur decet principem diligi potiusquam metui? An quia metus malus sit diuturnitatis custos?

Cur mortem alij optant, alij reformidant? An his est terribilis quorum cum uita omnia extinguuntur, dulcis uerò his, qui eò se migraturos sperãt ubi æterni sunt futuri, & quorum laus emori non potest?

Cur loca arida & ieiuna nõ sunt despicienda? An quia similibus locis naui atque industrij efficimur?

Cur in dandis beneficijs agri fertiles sunt imitandi? An quia plus reddunt, quàm accipiant?

Cur aspernanda delicata educatio? An quia bona corrũpãt ingenia?

Cur ferenda quouis tempore beneficia? An ut quouis etiã tempore fructus metere possimus?

Cur fortunæ non fidendum? An quia perpetuò bona nõ sit?

Cur uita turpis fugienda? An quia ne morti quidem honestæ locum relinquat?

Cur spernendum uulgi iudicium? An quia ex ueritate pauca, ex opinione multa æstimet?

Cur est senectus metuenda? An quia ipsa senectus morbus sit: imo morborum officina quædam?

Cur mulierum omnium uitanda est consuetudo? An quia omnes ex æquo, in eodem ludo doctæ sint ad malitiã?

Cur uitanda egestas? An quia bona ingenia cogat immutari?

Cur multi & senectutem & orbitatem appetiuere? An quia magnam afferant mortalibus audaciam?

Cur in dissensione ciuitatis à plebe non standum est? An quia nihil sit plebe ad iram procliuius? in cupiditate uehementius, in uoluptate mollius, in dolore abiectius, & in iracundia asperius?

Cur uitandum iniquum lucrum? An quia lucri mali breuis sit uoluptas?

Cur auari dicti similes hidropicis? An quia nulla expleri possunt pecunia?

Cur multis solitudinem adamarunt? An quia solitudo dicta sit sapientiæ gimnasium, & Deorum delubrum?

Cur boues claram aquam bibere gestiunt, Cameli autem turbulentam & crassam suauius bibunt? An quia pinguiores effici natura expetant?

Cur oues deligũtur ampliore cauda, potiusquã porrectiore? An q̃a exploratũ sit illas esse frigori tolerãtiores?

Cur Pigmei à nonnullis dicti sunt Troglodita? An à ca= uernis quas gruum metu subeunt, Troglodita rum more?

Cur coturnices pinguiores sunt autumno quàm uere? An quia pinguiora sint, quæ à locis ueniunt frigidis, quàm quæ à calidis?

Cur Grues cum uolant uociferantur? An ut ad uolatum alacriores sint?

Cur Psitacis uinum exhibetur? An ut loquaciores euadãt?

Cur multi recusant uelle ea lana uestiri quæ detracta sit oui, quam lupus iugularit? An quia eiusmodi uestes pe diculos gignant?

Cur alendis suibus, non simplici, sed uario utendum est ci= bo? An quia sic persuasum sit melius impinguari?

Cur Pontica & Scythica terra caret asinis? An quia re giones hæ frigidißimæ sint?

Cur fœminis calculi in uesica serius procreantur? An quia uesicæ collum satis amplum habent, & mingendo facile eijciant quod superuacaneum est?

Cur aquæ potores sunt acutiore uisu? An quia multa ui ni copia spiritalibus fumis uidendi uim perturbat?

Cur frigus maxime infensum est dentibus, neruis, & oßi= bus? An quia terrestris concretionis sunt?

Cur mel inueteratum amarum fit? An quia natiuam ami sit humiditatem?

Cur ebriis plæraq; omnia uertiginosa apparent? an quia ex multo uino plurima fiat exhalatio euaporantis ad cerebrum spiritus; qui ante concoctionem distrahi ne quit, sicq; cerebrum circumuortit?

Cur oleum alijs non admiscetur humoribus? an quia glu=

tinosum sit crassiorumq; partium.

Cur Pueri sunt præ alijs fascino obnoxij? an quia facilius excipiant affectum & naturæ conuersionem?

Cur oua, luna noua sunt subijcienda? An quia lumine crescente, luna magis calfacit?

Cur decrescente luna, tondendum, carpendum, & cædendũ est? An quia decrescente luna uegetalis facultas imbecillior fiat?

Cur arborũ radice, luna plena operiendæ sunt? An ne exicentur?

Cur humidiores agri fossione sunt siccandi? An ut fruges lætius proueniant?

Cur solum, in quo serendum sit, oporteat esse purgatum atq; elapidatum? An ut frugum maior sit copia?

Cur oleum, picem, ac ad ipẽ, seminaturus uitare debeat? An quia glutinosa omnia poros obstruant?

Cur optimum est granum illud quod rubet, et dentibus fractum, eundem habet colorem? An quia magis alat?

Cur semina sunt uino optimo perfundenda? An id fit, ne egrotent?

Cur Principes maximo honore afficiẽdi? An quia princeps imago Dei sit cuncta administrantis?

Cur Persæ iubebant liberos ebriosorum ora intueri? An ut ebrietatem uitare docerent? facile enim quis ebrietatem uitauerit si animo suo frequens euoluat, quæ à temulentis hominibus fieri uidebit?

Cur condita est gula? An ut ciborum meatus, sit et nõ uoluptatis instrumentum?

Cur multos de industria ad iracundiam prouocamus? An

quia sæpe ira detexit, quæ prius latebant.

Cur tradidere ueteres temperantiam toto pectore amplectendam? An quia quæ iucunda sunt, auget, & uoluptatem maiorem facit?

Cur uita socors & epularum studiosa tot philosophorum præceptis detestata est? An quia mox dolores uoluptatibus coalescant?

Cur rusticana uita a ueteribus est in cœlum usq; sublata? An quia parsimoniæ, diligētiæ, iustitiæq; magistra sit?

Cur noctu dolores intensiores sunt? An quia tum anima ociosa nullis exercetur sensibus?

Cur in renibus et uesica ulcera curationem non recipiunt? An id accidit propter urinæ acredinem?

Cur uolucribus natura, neq; renes, neq; uesicam largita est? An quia multo opus fuerit humore ad gignendas uolucrum pinnas?

Cur sparsa in serpentes aqua illico in fugam uertuntur? An quia naturæ frigidæ sint & siccæ, exiguiq; sanguinis; idcirco frigus uitant?

Cur qui arquato morbo laborant, mel amarum sentiunt? An quia bilem amaram habeant toto corpore redundantem?

Cur cupido aliger pingitur? An quia amantium animi facile attollantur?

Cur onera gestantes cantu maxime subleuantur? An quia ad hunc modum minus occupentur?

Cur omnes ferè lapides percußi ignem emittunt? An quia rara habeant spiracula? sunt certe quam plurimi lapides natura hiantes?

Cur Scythæ cum animaduertūt se magnopere potui indul

ſiſe arcuum cordas pulſare conſueuerunt? An ut diſſo lutum uoluptatibus animum ad priſtinam reuocent con tinentiam?

Cur ijdem albi ſunt & animoſi? An propter frigidam re gionem, quam incolunt?

Cur ſagittarum aciem humano ſanguine, aut uiperina ſanie tingunt? An ut perniciẽ afferant inſanabilem?

Cur Sybaritæ; artes quæ ſono conſtabant, ab urbe reicie bant? An ne quies interpellaretur? erant enim ocio ac mollitijs maxime dediti.

Cur hoc natum eſt prouerbium MVLTA SYRORVM OLERA? *An quia ſyri in hortis operoſiſsimi eſſent?*

Cur Poetæ fabulantur Martem penes thraces natum? An quia omnium bellicoſiſsimi ſint? cuneataq; utantur acie?

Cur cito placere deſinunt paraſiti? An quia eadem men dacia ſœpe repetant?

Cur pulmo ſpongiæ in morem leuis & cauernoſus ungu= læ bubulæ forma in duas fibras diuiditur? An ut ca= pax magis ſit ſpiritus, motuq; alterno reddat & re= cipiat?

Cur inteſtinum, quod inferiori uentriculo adhæret; ieiu num appellatur? An quia nihil, eorum quæ accipit, re tineat, ſed protinus in tenuius inteſtinum, ſinibus ue hementer inuolutum tranſmittit.

Cur piſces omnino muti? An id uitio linguæ accidit? ha= bent enim linguam à terreſtribus animantibus diffe= rentem.

Cur Aegyptij uirilia circuncidebãt? An mundiciæ gratia.

Cur Aegiptij ſalubri ſunt corpore? An aeris beneficio, qui

nunquam mutatur?

Cur apud ægyptios subulcis, omnibus interdicitur tēplis? An quia suillum pecus adeo detestentur, ut si quis por cum attigerit, cum uestimentis omnibus in flumine abluatur.

Cur proripientes se è lectulis corpus resina suffire consue uerunt? An ut disgregatione quadam acrem purgent?

Cur hircum, Deum appellarunt? An quia salacißimi essent. est enim hoc animal ad uenerem maxime propensum?

Cur Atlantes populi solem orientem occidentemq́; dira im precatione contuentur? An quia norunt agris exitialem esse?

Cur aquilo à nonnullis boreas uocatur? An a boatu? est.n. flatus uiolenti ac sonori, nubes discutit & serenum reddit aerem.

Cur multi nephas esse putarunt de nocte uigilare? An quia sic crederent naturæ genium uiolari atq; corrumpi?

Cur excecatus Tyresias? An quia consultus à Ioue utri maior esset libido in Venere, uiro ne an fœminæ, fœminæ dixerit? Iuno enim indignata illum excæcauit.

Cur Meson Astrologus, Athenienfibus in expeditionem Siciliæ nauigaturis, insanum se esse simulauit? An quia tempestatem futuram sciret?

Cur Poetæ fingunt Atlantem cœlum humeris sustinuisse? An quia syderum cognitionem optime tenuerit?

Cur Poetæ fingunt Endimionem à Luna adamatum? An quia Lunæ rationem & naturam primus deprehenderit?

Cur Beroso statuā inaurata lingua posuere Athenienses?

An

An ob diuinas prædictiones?

Cur fœtus primis diebus non sentitur? An quia uim motricem nondum sit assecutus?

Cur infantes supernas partes, infernis maiores habent? An quia calidi innati plurimum habeant, cuius ui, sursum alimētum attollitur, quo superiores partes potissimum aluntur?

Cur neque ualde pueris, neque ualde senibus uiget memoria? An quod memoria? firmitate quadam egeat? illi autem sunt in frequenti motu, nam alteri crescunt alteri decrescunt:

Cur desiderium sit absentium? An quia ut præsentium est gaudium, ita absentium sit desiderium? nam illa in primis expetuntur quæ desiderantur?

Cur hebeti ingenio prædití bene meminerunt; ingeniosi autem male reminiscuntur? An quia ingeniosi tenuem habent cerebri substantiam, in qua facile fit impreßiõs hebetes uerò duram & siccam obtineant?

Cur pueri memores magis quàm senes? An quia in pueris uis sit uegetior quàm in senibus?

Cur Agricolæ agros stercorant? An ut uberior seges inde proueniat? est enim in stercore uis callida & pinguis qua semina egregie aluntur?

Cur in Aegypto inodori sunt flores? An quia ob Nili inundationes & incrementa plus satis terra madescat?

Cur Gallus tam latonæ charus? An quia illi parienti astiterit?

Cur apud Persas niues rubræ uisuntur? An quia loca illa minio scatent?

Cur animalia cum dormiunt, conniuent, & oculos clau=

dunt? An quia somnus sit quædam immobilitas, qua nerui palpebras commouentes quiescunt; fitq; ut palpebræ concidant?

Cur legentes sæpenumero in somnum delabuntur? An quia ab ipsa cogitatione agitentur cerebri humiditates quibus cerebrum humectatum somno abripitur?

Cur melancolicorum sicca ac propè & enecta sunt corpora? An quia melancolicus humor frigidus et siccus existat, exiguoq; calore præditus sit?

Cur grandium Capitũ homines sunt somniculosi? An quia plurima insit humiditas?

Cur angustarum uenarum homines sunt somniculosi? An quia eiusmodi homines sint frigidi ac humidi?

Cur melancolici sunt edaces? An quia eiusmodi homines frigidi sint? frigiditas autem ciborum appetentiã exacuit?

Cur creatus est pulsus in humanis corporibus? An ut eius motu calefieret corpus?

Cur qui nutriti sunt sub craßiore cœlo si ad tenuius migrent, cito moriuntur? An quia nimia spirituum attenuatio mortem afferat?

Cur magnus interdum efficitur pulsus? An à spirituum abundantia?

Cur pueri ualociorem habent pulsum? An ut calidum melius refrigeretur?

Cur tam diuersa egeritur urina? An id accidit calidi intensione, uel remißione?

Cur apud Syrios tanta columborum extat copia? An quia eorum prohiberetur usus?

Cur gelu non minus odores, quàm sapores interimat?

An quia odor ab exhalatione oriatur, quem frigiditas cohibet; quæ gustum pariter extinguit ne saporem per sentiscat?

Cur aurum eruginem non contrahit; contra æs, & ferrum eruginem maxime sentiunt? An ob excellentiam soliditatemq; id euenit, quæ corrumpenti facile resistit?

Cur gustatus sit specie tactus? An quia gustus obiectum cognoscat adiūctum; minus aūt si sit remotū, percipit?

Cur gelu; poma; arida fiant? An quia uehemens frigiditas exiccandi uim habeat?

Cur homo inter reliqua animalia; tactilium excellentias perferre non potest? An quia omnium animalium temperatissimus sit?

Cur senes propè consita non uideant, remotiora uerò uident? An propter spirituum crassitiem? qui à splendido aere attenuantur?

Cur mulieres cum menstrui sanguinis profluuio laborant, speculorum nitorem uitiant? An ob putridorum corruptorumq; uaporum exhalationem quæ à menstruo sanguine fit?

Cur pueri fantasmata, quæ in somnis uident, experrecti etiam cernere se existimant? An ex ualida, potentiq; imaginatione id prouenit adiuncta spiritum claritate?

Cur qui ophtalmia laborant capita abradi curāt? An quia per capitis spiracula superflua distrahantur omnisq; grauedo depellatur?

Cur his qui febre correpti sunt lien augetur? An quia huiusmodi morbis affecti plurimum potare soleant?

Cur metu perculsis capilli arriguntur? An propter frigiditatem, quæ cutis spiracula densat, quo postea fit ut

Capilli circum aſtricta ſuperficie erigantur?

Cur Enuchi longi eſſe ſolent & incurui? An ob multam qua affluunt humiditatem?

Cur extrema in primis rigent? An quia pauxillum ſanguinis habeant?

Cur hieme cum interna calidiora ſint tanta abundamus pituita? An id accidit propter nimiam ciborum copiam quam hiberno tempore in pectus traijcimus, neq; ut opus eſſet conficimus?

Cur pulmone corrupto rubræ fiunt languentium genæ? An quia ſanguineus humor in Pulmone toſtus, uaporē gignat ſanguini conſimilem?

Cur Equi lubentius mingunt in mollioribus locis q̃ in ſordidis? An quia minus aſperguntur quam ſane rem uitant quanto plus poſſunt?

Cur Equi ſeneſcentes inferius labrum magis protendunt? An quia maius ſit, minusq; oſſi adhæreat?

Cur Equus cum uomit, moritur? An quia illud ſit maxime contra eius naturam?

Cur pulli equini procumbunt magisquam uetuli? An quia membra adhuc creſcant? Quid igitur mirum ſi illorum corpora agiliora ſint?

Cur equorum excrementa cum defatigantur grauius olēt? An quia plura tum proferantur quàm concoquant? incocta autem grauiter olent citoq; tabeſcunt:

Cur in ſtabulis attondemus iubas equorum ad admiſſurā aſinorum? An ut ſubmißiores aſinorum admiſuram ferant, iubarum enim uenuſtate elatæ, id pertinaciter recuſant?

Cur ſilueſtres ſues ſemel tantum pariunt cicures autem

bis? An quia illis simplex sit cibus, his uerò multiplex & uarius?

Cur displicet multa uenus? An quia corpus eneruat?

Cur placet temperata? An quia corpus excitat?

Cur fugienda luxuria? An quia omni turpis sit ætati?

Cur humana despicienda sunt? An quia in humanis nihil diuturnum & stabile sit?

Cur domesticæ fortitudines fuere tantum admiratæ? An quia militaribus non sunt inferiores?

Cur in primis æquum decet esse principem? An quoniam æquitas, imperia maxime diuturna faciat?

Cur uitanda iracundia? An quia consilijs sit inimica?

Cur philosophia obuijs ulnis amplectenda? An quia sponte nos facere doceat quæ metu legum facimus?

Cur Aspernanda uoluptas? An quia doloris sit comes?

Cur infantes quàm primum in lucem editi fuerint uagire incipiunt? An propter mutatum hospitium à calido ad frigidum?

Cur apes, formicæ, insectaq; omnia, oleo necantur? An quia olei glutinosa natura angustos meatus angustiores reddat?

Cur nonnulli interdiu uident, nocte autem, non uident? An quia uidendi spiritus crassiores habeant?

Cur poma semper habita fuere insalubria? An quia frigida & humida sint?

Cur sunt aliqui; qui difficilia concoctu facile concoquũt, quæ autem facile concoquerentur summo labore percoquant? An id accidit ob inueteratam consuetudinẽ? uel potius ob reconditum & naturalem quendam habitum?

Cur putealis aqua hieme calida est, æstate autem frigida? An quia suum semper unumquodq; fugiat contrariũ?

Cur sinapi & piper, cunctaq; acria, cuti admota illam exulcerant? potata uerò aluum minime sauciant? An quia transmutantur & digeruntur, antequam quicquã efficiant?

Cur in foribus templi Dianæ; quod Seruio Tullo regnãte structum est; Bouis cornua figebantur, cum ab alijs ceruorum cornua penderent? An id factum est in monumentum bouis imolatæ Dianæ in Auentino, quæ Sabinis portenderat imperium?

Cur Esculus, Ioui dicata glandem amaram fert in Macedonia? Sic enim scribit Theophrastus? An ob aeris ambientis naturam?

Cur Cycnus Phæbo, Vaticinij Deo, consecratus est? An quia cantu propriam prædicere soleat mortem (quanquam hoc fabulosum existimet Plinius)?

Cur Cycnus moriturus; suauius canit? An ut disceremus mortem malum non esse, sed potius uotis omnibus ambiendam & expetendam? est enim in causa ut eò migremus, ubi æterni futuri sumus?

Cur cœca dicitur fortuna? An quia cœcos efficiat, quos amplectitur?

Cur antiquis Rusticana uita maxime probabatur? An quia à cupiditate disiuncta sit, & cum officio mirabiliter coniuncta?

Cur sudor est salsus? An à motu plurimo & calore optime secernente?

Cur sudor qui manat à capite, aut non male oleat, aut minus quàm alij sudores? An quia caput spirationi sit

maxime opportunum?

Cur facies maxime sudat? An quia laxa & humida sit?

Cur Ruta sudores commouet? An quia Sordidis admiscetur humoribus?

Cur uinolenti frigent; cum uinum natura calidum sit? An id accidit à copia humoris refrigeratá frigus concipiẽte; adeo ut naturalem superet calorem?

Cur magis crapulam persentiscunt, qui uinum dilutius bibunt quàm qui meracius? An quia uinũ admixta aqua tenuius fiat, penetretq; facilius angusta Capitis foramina?

Cur illorum hominum, qui uino dedit sunt, semen est infœcundum? An quia talis habitus multum humiditatis habeat, atqui, si semen habere debet procreandi uim, ut crassum sit necesse est, non humidum?

Cur temulenti aquas salsas uiciosasq; magis sentiunt Sobrij minus? An quia contraria à contrarijs magis intelligantur? Etenim uinolentus dulces in se continet humores; sobrius autem acres & salsos?

Cur si temulentus dulcem potiunculam adhuc bibat, haustum uinum nullo concoquitur negocio, minimeq; infestat? An quia uinum dulce, lene, atque lentum sit, & foramina interscepiat?

Cur uinum alios facit pigros, ueloces alios, multos timidos multos item feroces & elatos? An quia uinum (teste Cheremone) pro moribus utentium sese applicet?

Cur lybicæ feræ æstate non bibunt quo sane tempore sitis maxime urgere & molesta esse solet? hieme autem plurimum bibunt? An quia nullæ extent illa anni parte in lybia aquæ; ita ut à consuetudine id oriri credatur?

Cur bouum fimus minus grauiter olet? An quia maxime ruminat & apprime concoquatur quod edit; quod certe à cibi simplicitate accidit?

Cur in æstate Alui profluuia magis gignantur, quàm in hieme. An quia æstate humidũ includitur autẽ calidũ?

Cur æstate gignatur bilis, cum eo tempore minores fiant superfluitates? An quia tum calidũ putredini sit magis obnoxium? bilis autem ex putredinè fit.

Cur ciborũ mutatio, minus molesta quàm aquæ? An quia plus aquæ consumitur? aquæ enim plurimus est usus.

Cur sal & portulaca dentium stuporem tollant? An quoniam portulaca lentum quendam humorem habeat; qui sanè lentor acorem educit: sal etiam macerat liquefacitq; & acorem extrudit?

Cur piper si largius sumatur, uesicam soluit, si autem parce aluum?

Cur cibum imminuere & exercitationem augere oportet si ualetudinem tueri cupias? An quia excrementorũ copia egrotandi multam subministrat materiam?

Cur res amaræ; & quæ tetri sunt odoris. tam belle purgant? An quoniam amara & male olentia concoqui non possunt?

Cur pili cicatricibus non exoriuntur? An quia meatus occæcati sint?

Cur morentes in summa cute pallescunt? An quia sanguis qui antea calefaciebat & attenuabat superficiem ad interiores partes penetrat?

Cur mingentes uentris crepitus sæpe edunt? An quia uesica plena lotio, tumefaciat & rectum quod uocant intestinum angustet?

Cur nummi & poma in aqua posita, maiora quàm sint esse uidentur? An quia adiuncta aqua illorum colorem recipiat sicq; aspectum fallat?

Cur facie quidem nuda & aperta, corpore autem uelato (si maximum sæuiat frigus) corpore obrigemus; facie uerò non multum? An propter assuetudinem?

Cur terga maxime pruriunt? An quia hæ partes frigidiores sint, plusculumq; pituitæ in se habeant?

Cur breues homines longis sunt prudentiores? An quia compacta & toto corpore coarcta sit anima; in magnis autem extensa exoluatur in spacium?

Cur sæpe stulti patres; prudentes procreant liberos? An quia dum operam liberis dant stulti à uoluptate superentur, habeantq; animam corpori omnino demersam? Sed cur prudentes stultos gignunt? An quia dum coeunt semper aliquid animo agitent, multa prospiciant; & plurima discutiant?

Cur senes sunt maxime, pituitosi & redundantes? An quoniam minus concoquunt?

Cur senes sunt maxime uigilantes? An quia arida sunt natura?

Vnde uocis acuitas in Eunuchis? An ab humoris exuperantia?

Vnde Caluum fit sinciput? An à mollibus patentibusq; spiramentis?

Vnde accidit quod equi per anum in fluuijs suffocetur? An hoc accidit ab intestino nimis amplo?

Cur Asinas & equas ubi compressæ fuerint stimulis illico cedimus? An quia repente semen emingunt?

Cur equus & asinus post coitum emingunt? An quia ni=

mis in coitu laborant sicq; humor in uesicam dilabitur?

Cur saginati sues magis obrigescunt? An quia pinguiores à suo calore longius absint?

Cur sus dum coit, spummam eiectat? An ab angustia gutturis ac fistularum?

Cur syluestres sues pauciores pariunt quàm cicures? An à ciborum affluentia locorumq; caliditate hoc euenit?

Cur syluestres sues; plæriq; omnes nigro colore sunt? An à Cœno id accidit in quod se prouoluunt aßidue?

Cur saginatæ setas amittunt? An quia sic magis concoquant? magis autem concoquentes minus superfluitatũ relinquunt? Setæ uerò ex superfluo quod inest, gignuntur?

Cur sues quæ lac præbent nisi grunitum ediderint, lac nõ emittunt? An quia suuillum lac exiguum sit, & in plures partiatur mamillas, quò fit ut magno nixu opus sit si diffluendum sit?

Cur uita nostra dicta est theatro similis? An quia sæpe pessimi honestißimum obtinent locum?

Cur uitanda est inopia? An quia multos effecit malos, qui suapte natura boni erant?

Cur odorata tam seminum quàm plantarum facile mouere possunt urinam? An quia calida concoctuq; facilia sint?

Cur morbis à pituita contractis multa prodest uenus? An quia genitale semen excrementi detractio quædã sit?

Cur superiore parte corporis, potiusquã inferiore sudamus? An qnia calor sursum tendit?

Cur siluestrium animaliũ stercus minus fœtet? An quia aridum sit?

Cur in omni parte pilosa canescimus potius, quàm sub axillis? An quia locus ille calidus sit; arterijs ac uenis refertus?

Cur glabræ sunt mulieres? An à densis corporum spiramentis, quæ parit ipsa frigiditas?

Cur mulieres cito canescunt? An quia naturæ frigidæ sint & ab ocio multas contrahant superfluitates?

Cur pueri cũ sint humidi canitiem non emittunt? An quia cum humiditate coniunctam habent caliditatem?

Cur Mineruæ capra imolatur? An quia oliuam sacrum mineruæ inuentum, lambendo sterilescere faciat?

Cur columbæ imperiosos mares maximeq; infensos tanta ferunt patientia? An ut nostræ perdiscerent fœminæ, maritorum impotentes animos; æquo perferre animo?

Cur palumbes hieme sunt mutæ, uere autẽ mire uocales? An quia læta cœli facies læta faciat omnia?

Cur Romulus lacte, non uino libabat? An fortasse id agebat ob uini inopiam quæ certe quanta esset, liquet ex Lucij Papinij facto; qui aduersus Sannites dimicaturus fecit uotum (si uicisset) Ioui pocillum uini se daturum: liquet etiam melius ex Mezentij facinore, qui ob exiguam uini mercedem Rutulis bello penè fractis; suppetias tulit?

Cur olim Romæ. Propinqui fœminis oscula dabant. cum ædes ingrederentur? An ut hoc modo rescirent num temetum olerent? fœminis enim uinum potare non licebat; quod Egnatij Metuetini præclaro constat facinore: is enim uxorem interfecit, quia uinum è dolio hauserat?

Cur metuentes & algemus & sitimus. An quia dum me=

tuimus & refrigeramur & caleſiamus? Algemus enim refrigerati & ſitimus calefacti?

Cur metuentibus, teſtes contrahuntur? An quia metuentes frigentibus ſimiles euadant?

Cur ægrotare ſolemus ubi uitam luxui deditam omittimus? An ob longam conſuetudinem id accidit?

Cur ſpirãtibus Aquilonibus cibi auidiores ſumus? An quia Aquilones frigidiores ſint?

Cur poſt auſtrum, cito ſpirat aquilo: poſt aquilonem, nõ tam repente ſpiret auſter? An quia alteri ex propinquo, alteri ex remotioribus locis ueniendum ſit?

Cur in ſole, amplius quàm in umbra, res calidæ refrigerantur? An quia minor calor, à maiori abſumatur?

Cur ſalubriores ſint illæ cucurbitæ, quæ diu pendendo excreuere? An quia minimum ſeminis habeant minimumq́; humoris?

Cur in Aegypto, celebriores ſint quàm alibi? An ob olei fertilitatem quæ ex cucurbitis magno illius gentis emolumento conficitur?

Cur raphanus terram humidam & ſolutam cupiat? An quia frigore plurimum gaudeat?

Cur raphanos crudos potiusq̃ coctos medici edendos ſuadeant? An quia crudi, uiſcerum acria facilius colligãt, Ptyſimq́; cordi inhærentem appellant.

Cur qui dentibus ſeruandis operam dant raphani uſum tantopere uitant? An quia compertum ſit dentes ſupra modum atterere?

Cur allium & cæpas iure iurando ſola Aegyptus inter Deos habeat? An id contingit ob immenſam quam inde capit utilitatem?

Cur edentes allium, radicem betæ in pruna torrefactam, superedere consueuerunt? An illud propterea faciunt, ut allij fœtidum odorem extinguant?

Cur ruta furto surrepta felicius prouenit? An quia sic diligentius extolatur auidiusq; extirpetur?

Vnde fit, ut Apes furto sublatæ pessime crescant? an quia assueto delectentur domicilio?

Cur prope flumina non sit ædificanda uilla? An quia tradidit Homerus è flumine semper uitandas esse antelucanas auras quod ualde insalubres sint?

Cur non expedit agrum optime colere? An quia nimia diligentia sæpe obest?

Cur crocus & fœnum græcum lætius proueniunt quò negligentius tractantur? An ut adiscerent mortales esse aliquid cui negligentia prodesset, neq; in opere faciundo tam indefessos se præberent?

Cur dictum est pannicum? An a panniculis quibus inuoluitur & tegitur?

Cur ponticæ gentes nullum cibum pannico præferunt? An quia alijs frumenti generibus careant?

Cur olim præceptū est ut cyprio tritico Alexandrinum admisceretur? An quia Cyprium natura fuscum sit atrumq; panem efficiat quod tamen Alexandrini permistione candidum euadat?

Cur panem exhordeo confectum & ab antiquis usitatum intermisimus? An id contingit meliore pane inuento?

Cur hordeum ex omni frumento minime calamitosum? An quia tolli soleat antequam rubigo illum occupet & inuadat?

Cur olim fabæ maximus honos esset (quæ tamen Pythago

rica sententia damnata erat? An quoniam ex ea multiplex usus esset?

Cur lente uescentes, crediti sunt æquanimiores fieri? An quia frigidos gignat humores?

Cur legumina cum maturescere cœperint, mox rapienda sunt? An quia nimis cito exiliant lateantq; cum deciderint?

Cur uoluerit natura non nisi pruinis, nebulis, ac frigore ali rapas & augeri?

Cur lupinus cum sole circum agitur horasq; agricolis etiã nubilo tempore demonstrat? An id factum; ne cœlum intueretur Agricola, aut sydera multo cum labore quæreret.

Cur non semper loci salubritas incolarum malo colore detegitur? An quia in pestilentibus locis assueti facile uiuant?

Cur bene & commode habitare præcipiuntur qui ruri uitam degunt? An ut sæpius? in agrum uentitent?

Cur inter censorias castigationes habebatnr, si quis minus araret quàm uerreret? An ut insanæ uillarum substructiones tollerentur?

Cur far, ex omni frumenti genere, frigida sustinet loca minimeq; subacta? An quia sit omnium durißimum?

Cur ueteres uineam, semel fodere (si antiqua sit) bis uero nouellam præceperunt? An quoniam quæ senuere, nõ facile attrectari patiuntur?

Cur lupinus in agro desertus, impune iacet? An hoc illi ob innatam contingit amaritudinem, quæ tamen fluuiali aqua uel tollitur, uel facile minuitur?

Cur auena tritici uicium à priscis dicta est? An soli ma=

xime cœliq; humore hoc euenit uel est in causa semi=nis imbecillitas, uel quòd tale semen sœpe cariosum sit cum seritur?

Cur nitro & amurca perfunditur faba? An ut fœlicius grandescat?

Cur legumina sunt appellata? An quia leguntur & uel=luntur, non autem subsecantur ut alia multa?

Cur Caulibus dum coquuntur nitrum addebant ueteres? An ut natiua uiridias retineretur?

Cur erucæ lactuca comes adiungebatur? An ut nimio fri gori par feruor admistus temperamentum faceret?

Cur dictum est Nasturtium? An à narium tormento? hoc enim utebantur persæ nec quicquam ad panem præter nasturtium addebant?

Cur probris ac maledictis ocynum serendum præcipitur? An quia sic credidit superstitiosa antiquitas felicius prouenire?

Cur lactucæ æstate sunt tam gratæ stomacho? An ob eius refrigerantem uim, qua præditæ sunt? quid enim iu=cundius quàm refrigerari si calidus sis?

Cur braßica toto anno seritur? An quia toto etiam anno secetur?

Cur prisci ad rem diuinam nihil purum existimabant, quod tostum non esset? An ut cœlo indignos existimaremus, qui laboribus ac periculis torrefacti & macerati non essent?

Cur Prisci nouas fruges nouaq; uina non degustarent an=tequam sacerdotes primitias libassent? An ut discere mus quæcunque haberemus Dijs accepta referre?

Cur inuentum creditur esse aurum? An ad uitæ nostræ

pernitiem?

Cur idem pallet? An id accidit ob insidias quas illi dies ac noctes miris modis struere solent mortales?

Cur sterilescant capræ? An id accidit ob redundantem pinguedinem?

Cur eædem nunquam febre carent? An quia illis sit anima ardentior, calidiorq; concubitus?

Cur ocymum maxime uitandum? An quia teste Chrysippo) stomacho inutile esset, urinam inhiberet, oculorum claritati ob esset, insanos ac letargicos faceret in iocinoreq; uicia multa pareret?

Cur equis, asinisq; admissuræ tempore, ocymi semen exibemus? An quia uenerem egregie prouocat?

Cur uerbera subituri syluestre ocymum ex uino potabãt? An ut duritiam contra plagarum sensum induerent?

Cur Pictores & Scultores syluestrem rutam libenter commanducant? An quia oculorum aciem, (qua maxime egent) mirandum in modum exacuit?

Cur Grauidæ à ruta tam superstitiose abstinent? An quia partus necat?

Cur ueteres digniorem præstantioremq; coronam ex pulegio quàm ex rosis existimabant? An quia capitis dolores leuaret, tuereturq; capita à frigoris, sitis, æstusq; iniuria?

Cur Nepethæ cum Pulegio tanta est societas? An quia ijsdem pene dotibus ornarit natura?

Cur cicorium ab alijs dictum fuerit Creston, ab alijs autẽ pancration? An propter excellentes & mirificas eius dotes; tam honorificis nominibus appellari contigit?

Cur Democritus rapum abdicauit à mensis? An id euenit

propterea

propterea quod uenerē stimulat. & inflationes parit?

Cur necesse est transferre Porrum, Gentium, Appium, *lactucam, rapă, & cucumim?* An quia *translata omnia meliora, grandioraq́; fiant? uel, quia in translatione medicina quædam exıstat, quæ prohibet sentire iniurias uel à cœlo, uel à noxijs animalibus prodire solitas?*

Cur ruta nusquam lætior conspicitur, quàm sub ficu? An *quia fici ducedinem suæ naturæ contrarium sentiens sese colligat, & in unum uires contrahit sicq́; grădior & ramosior fit?*

Cur *in piscinis* Appium *immitti solet?* An *ut ægrotantes pisces recreentur?*

Cur *ueteres existimabant contra omne fas esse* Appium *ad cibum addere?* An *quia defunctorum feralibus epulis dicatum esset?*

Cur Phocæ, et Ranæ *tam diu sub aquis urinătur?* An *quia pulmonem exiguum, ac ualde spumosum habeant?*

Cur Aquatilia *non sentiunt?* An *quia pulmonem minime sanguineum habeant?*

Cur leporibus circa Briletum, & Tarnem, *et in* Chersono*nesso ad propontidem bina sunt iecora? cur etiam in* Paphlagonia *bina perdicibus sunt corda?* An *sic uoluit natura ut nos in admirationem pertraheret?*

Cur ceruina cauda, ceruinaq́; intestina à canibus non attingŭtur? An *quia fel existat, uel incauda uel in intestinis?*

Cur *arteria carent sensu?* An *quia carent & sanguine?*

Cur Taurorum *sanguis in potu sit pestilens?* An *quia celerrime coit, & durescit?*

Cur *obœsis minus est sanguinis?* An *quia pinguedine ab-*

sumatur?

Cur caseus non fit ex utrinq; dentatis? An quia eorum lac non coit?

Cur cum uolumus aliquem rei alicuius meminisse, aurem attrectamus? An quia in ima aure existat memoriæ locus, quem tangendo excitamus?

Cur ueteres coronati cœnabant? An quia in coronis esset aliqua sanitatis causa? sic enim à Mnestheo & Callimacho traditum est: odorum enim quorundam uis egregiam affert hilaritatem:

Cur in Aegypto flores sunt minime odorati? An quia nebulosus & roscidus sit aer à Nilo flumine? odoratiora enim sunt omnia in calidis, quàm in frigidis locis; & quæ serenis diebus leguntur quàm quæ nubilosis?

Cur quædam sunt quæ cum uirent non olent? An propter nimiam humoris copiam?

Cur Conchæ sunt Veneri dicatæ? An quia Venus cum ex maris spuma nata esset, ad littus conca delata dicatur?

Cur Virgiliana Dido secundas nuptias culpam appellat? An quia tum secunda matrimonia incognita essent, & parum pudica haberetur quæ bis nuberet? Coronabantur enim uiduæ fato functæ de more uirginum?

Cur homini tantum & sui guttur intumescit? An aquarũ uitio id accidit?

Cur Germanici Cæsaris cor comburi nunquam potuit? An ob epotum uenenum?

Cur Alexander cum ex India rediret, exercitum hedera coronauit? An id factum est liberi patris exemplo?

Cur Bacchus apud Thebas mollitiem exercet, & apud in=

dos uirilem sumit habitum? An ut discamus ex locorũ diuersitate mores esse mutandos?

Cur adolescentes Dijs *fluminum crines pollicebantur? An quia humiditas incrementi causa sit?*

Cur multi nephas esse putarunt eximiam optare felicitatem? An quia Deorum *obliuionem inducat?*

Cur sordidatis, ac mœrentibus, uinum largius dabatur? An ut hoc modo hilarescerent, miseriamq́; omnem ex animis expuerent?

Cur monuit oraculum, ut diligenter nosmet pernoscere-mus? An quia sciret hanc esse præcipuam sapientiæ partem?

Cur fœminis non concedebatur uinum? An quia uenerem prouocat, & mentem de suo statu dimouet?

Cur negabatur uinum his qui magistratum gererentur? An ne forte uino madidi iniqua iudicarent?

Cur uetabatur uinum sumere his, qui militiam exercebãt? An fortasse, ne uino sepulti ab hostibus de improuiso opprimerentur?

Quid est, quod sæpe nostros fortuna occæcat animos? An ne eius ingruentem uim refringere audeamus? Cupit enim se à mortalibus ueluti rerum dominam uenerari?

Cur Eurotas Laconiæ *fluuius dictus ẽ asper? An quia bello acres producat uiros?*

Cur Iuno Tyresiam *oculis priuauit? An quia dixerat fœminas uiris esse libidinosiores?*

Cur pater Liber *dictus est insanus* Deus*? An quia cultores suos insanos redderet?*

Cur Iupiter, *cæteriq́;* Dij *cum se animis relaxare cuperẽt ad* Ethiopes *diuertebant? An quia iustissimi inter mor-*

tales omnes haberentur?

Ob quã rẽ Gallinaceo generi incocta cibo dabatur labrusca? An ut illis fastidium procrearent uuas appetendi? sic enim ab antiquissimis obseruatum est agricolis

Ob quam rem affirmat Hesiodus oleæ satorem fructum ex ea nunquam percipere solitum? An quod tardissimè proueniat? Sed certe Hesiodum sua fefellit opinio.

Ob quam rem oliuantibus antiquissima lex fuit oleam ne stringerent, aut uerberarent? An quia non sine magno uerberaretur damno?

Ob quam rem, pauperiores sunt boni, quàm scelesti? An ad bonos paupertas confugit, ut tutior sit, innocentiusq; uiuat?

Ob quã rem, si cũ bene ualentibus uersamur nõ tamen ualentiori sumus corpore, si cum pulchris, ne tantillum quidem pulchriores euadimus, atqui si cum iustis, castis, & modestis frequentes sumus, illis aliquando similes efficimur? An quia bona animi imitari possumus, corporis autem minimè?

Quam ob causam Asini, cùm sunt in labore remissiores, deteriores fiunt? An quia frigoris impatientissimi sint? ocium autem frigiditati proximum est:

Quàm ob causam asinæ pariture lucem refugiunt, ac tenebras quæritant? An sic à natura institutæ sunt, ut ab eis fœminæ ratione participes exemplum sumant?

Quam ob causam Echeneis tam paruus piscis nauim ui, atque uentorum impetu actam in medio mari sistit?

Quam ob causam alio oscitante (nisi aduerterimus) ipsi quoque oscitamus?

Quam ob causam Salamandra himbre prouenit, & sere=

no tempore deficit?

Quam ob causam sal pecori aptißimus est? An quia nulla alia re magisquam potu pinguescat? Sal uero ad bibē dum maxime allicit & inuitat?

Quam ob causam Apes, hieme delitescunt? An quia non satis uirium se habere intelligunt ad pruuinas toleran das & ad perferendos aquilonum flatus?

Quam ob causam insecta (ut multi credunt) non spirant? An quia uisceri interiori nexus quidam spirabilis de= sideretur?

Quam ob causam insecta carent sanguine? An quia ca= rent corde ubi sanguinis sedes existit?

Quam ob causam Apes cum noctu sunt in expeditione; su pinæ excubant? An ut alas à rore tueantur?

Quam ob causam Apes, nunquam edunt separatim? An id accidit, ne ulla fiat in præclara Apum Rep. operis, cibi aut temporis, inæqualitas?

Quam ob causam Apum coitus, nullo unquam tempore cō spectus est? An ut in hoc pusillo animali ipsi ingenuum adisceremus pudorem?

Quam ob causam mas, inter apes, præcipua sit magnitudi ne ornatus, corporisq; uiribus maxime polleat? An ut in regēda apum familia subsistat, minimeq; fatiscat?

Quam ob causam Rex Apum nullo utitur aculeo? An ut discerent Reges ratione præditi, neminem lædere sed fouere, sed tueri, ac modis omnibus ornare?

Quam ob causam Apes, unguenta & pastillos olentes, ma xime infestant? An quia natura docente sciant huius= modi homines ocio maxime deditos esse. cum ipse labo res ament & ocia respuant? nullus enim illis perit

dies (modò per cœlum liceat)

Cur Persæ piaculum opinantur si quis in flumen spuerit? An quia Fluminibus insit Diuinitas?

Quam ob causam alio acerba quædam edente, saliua alteri in os prosilit?

Cur persæ fragilia habent capita? An quia à paruulo pileis, ac tyaris utantur?

Cur pedalij indorum populi nihil aliud in Sacrificijs petebant, quàm iustitiam? An quia se rerum omnium compotes futuros crederent, si iustitiam consequerentur?

Quam ob causam Gallinaceus uix natus Equum, Elephantemq; nihil formidat; miluum autem uel longe conspectum adeo expauescit, ut nihil magis?

Quam ob causam agno & lupo tanta est inimicitia? An ob diuersum ingenium?

Quam ob causam Marsi & Psilli serpẽtes illesi tractant?

Quam ob causam araturos boues quàm arctißime iungere oportet? An id fit; ne colla contundant, quod sanè contingere non poterit si sublatis capitibus arent?

Quam ob causam cum arandum est, inter arbores uitesq;, oportet fiscellis capistrare boues? An id fit, ne teneriores germinum partes præcerpant?

Cur olim cum aliquem sanum esse significaremus, dicebamus cucurbita sanior est? An quia cucurbita aeris uitio minime lædatur, propter crustum quo integitur? uel quod uarijs remedijs efficax perhibeatur? sic enim docent Dioscorides & Plinius?

Cur Scythæ duodenos Dies durant in fame & siti? An id fit uirtute cuiusdam hærbæ, quæ spartania uocatur?

Cur temulentia laborantes mos erat oleo, ac sale perun-

gere? An quia id aduersus ebrietatem efficax remedium existimaretur?

Cur Phidias Heleorum Venerem ita finxit, ut Testudinē calcaret? An ut tacite significaret Vxoribus domi manendum esse, silendumq́; ?

Cur testudo dicta est Domiporta & tardigrada? An quia sic Iupiter iussit; propterea quod ad eius nuptias interrogata; cur non uenisset, responderit; Domus est cara; domusq́; est optima?

Cur Aegyptijs mos erat, ut nuptæ sandalijs non uterentur? An ut monerentur non esse domo facile exeundū?

Cur Polypi caput ab his respuitur, qui uentri dediti sunt, cum esu suauissimum atque maxime exculentum sit? An quia somnia parit tristia, atque prodigiosa?

Cur si pumicem in bullientem urceum immiseris, continuò feruor extinguitur? An inde fit, quod siccitate uehementi spumam omnem ad se pertrahere nitatur?

Cur Aristoteles audaciam cum salutis contemptu coniunctā Celticā appellat? An q̃a Celtæ sic pugnare soleant?

Cur acetum magis refrigerat, quàm multa alia suapte natura frigida? An quia mistarum sit qualitatum? Calidæ enim partes corpora ingredientes, faciunt frigidas subingredi, sicq́; refrigerat magis?

Cur insula Creta, præter Phalangium, nullam habet nocentē bestiam? An quia Iupiter in illa insula natus honoris gratia sic uoluerit?

Vnde fit aciditas in saporibus? an dum à calido mutantur, non ita tamen ut superet? Ructus enim à calore non uincente proueniunt;

Cur frigidum est mordax? An quia cōtrahat et diuellat?

Cur calidum quodq; mordet? An quia tundat & erodat?
Cur Elleborum, si parcius sumas, lædit magis? An quia nõ educendo agitet?
Cur Climenes herba sterilitatem affert? An quia nimis calida existat, uterumq; nimis exiccet?
Cur lotos ramenta ligni habet amarißima, fructum autẽ dulcißimum? An quia è ligno in fructum dulces transferantur partes?
Cur quercus abhorret ab olea, & multo magis à nuce iuglande? An quia dißimili sit temperie?
Cur uictor in capitolio latinis ferijs absinthium bibebat? An quia amaritudine fastus deijcitur?
Cur Camæleon colores subinde mutat? An quia pauidißimum sit? uel potius ob cutis splendorem, ac tenuitatem?
Cur apud Trogloditas lacus est, qui ter in die fit amarus ac salsus, & rursum dulcis, totiesq; etiam nocte mutatur? An quia ex diuersis manat fontibus?
Cur in Narniensi agro, terra hymbre fit siccior & æstu humescit? An quia pingue solum cum sit, calore liquescat & pluuiæ humore abluatur?
Cur terra, quæ gignit salem, nihil aliud gignit? An quia humore careat, quo ui uentia aluntur?
Cur ceruleus color oculis optatißimus? An quia medius existat?
Cur qui immodico utuntur coitu imbecilliores fiunt? An quia naturali calore exinaniantur?
Cur columbæ turriculæ domesticis præstãtiores? An quia minus excrementorum habeant?
Cur sanat comitialem morbum poemia collo appensa? An ob uapores ad caput sublatos, qui cerebrum exiccãt?

Cur febres continuæ tertio, uel quinto die soluuntur? An quia acutæ sint, & à calidis excitentur humoribus, qui impari die complentur?

Cur uola manus est glabra? An ob cutis raritatem, atq; callositatem?

Cur infantuli, antequam fasciis inuoluātur, sale sunt asper gendi? An ut cutis durior euadat?

Cur lac caprillum absque melle sumptum periculo non uacat? An quia in uentriculo innata quadam craßitie coagulatur, unde gignitur lac? An ex sanguine elaborato?

Cur Autumnus morbificus? An propter inæqualem temperiem?

Cur sunt hominibus aures immobiles An quia desinit musculi?

Cur præsidia non sunt opportuna morbo in uigore existēte? An quia sic impediretur natura?

Cur plurimi æstimanda sunt dulcia balnea? An quia calefaciant simul, & humectent? Adde quod tertianæ febri auxiliantur egregie.

Cur Basiliscus conspectus, uel auditus, hominem interimit? An quia cum humana natura pugnantem naturam habeat?

Cur in calidis, siccisq; temperamentis bilis abundat? An quia & ipsa eiusmodi existat?

Cur bile flaua in cerebro collecta delirium fit? An quia nimio calore imaginatio perturbetur?

Cur Boreas seruat uniuersa imputria? An quia exiccat?

Cur Buglosson uino iniectum hilaritatem parit? An quia sanguinem augeat, cordisq; uires reficiat?

Cur sol linum candefacit, & homines nigros reddit? An ex subiectorum diuersitate id euenit?

Cur iis, qui morbo laborant regio, mel amarum est? An quia bile plurima infectam habeant linguam?

Cur iris gemma, non nisi in opaco colores reddit arcus coelestis, in sole uerò coloribus caret? An quia maius lumen minus impediat?

Cur olympiæ porticus uocẽ acceptam arte, septies eandẽ reddit? an quia ex totidem locis uox resultet?

Cur siphnius lapis oleo excalefactus durescit, alioqui per se mollissimus? An quia oleum humidas partes exiccet?

Cur gypso madido statim utendum? An quod celerrime siccetur?

Cur lepus piscis homini certissimum est uenenum, & homo illi? An quia utrique uis sit in alterum noxia?

Cur apud thessalos capitale erat ciconiã occidere? An quia serpentes interficeret, quibus diuexabantur? sic & apud Britannos miluis parcitur, quod urbem raptis pecudum extis repurgent?

Cur cibi in uentriculo sæpe acescunt? An ob frigidam causam?

Cur acria ulceri non admouentur? An quia rigorem inferunt?

Cur aeris temperies calida & humida omnium pessima? An quia putredini sit maxime obnoxia?

Cur Ethiopes omnes crispi sunt? An ob humoris siccitatẽ?

Cur Ethiopes omnes pilos habent paruos, nulliusq; incrementi? An ob cutis siccitatem?

Cur Ebrii frigent? An quia uinum immodice haustum, affectus frigidos inducat?

Cur agni casti semen Venerem arcet? An quia flatus discutit?

Cur agrestium animalium carnes magis expetendæ? An quia ualentius nutriunt, succumq; gignunt præstantißimum?

Cur ouorum albumen ægre concoquitur? An quia frigidum sit?

Cur alienati mente animalium actionum obliuiscuntur? Cur ijdem rarum & maximum spiritum reddunt? An quia uires animales perturbatæ admodum sint in ijs qui à mentis statu dimoti sunt?

Cur Alexandrini fossores Camelinis uescũtur carnibus? An quia maxime alant?

Cur amarum calidius dulci? & cur exulceratis amara cõducant minimeq; putrescant? An quia calidum in amaris uehementius agat?

Cur Athletæ ficubus auide uesceb antur, Amigdalis autẽ minime? An quia ficus egregie nutriant, Amigdalæ uerò parum alant?

Cur sanitatis tuendæ studiosi, ab esu anguillarum abhorrere solent? An quia nunquam boni succi fuerint?

Cur animalia, quæ supernis dentibus carent, geminum habent uentriculum? An ut meli us concoquant?

Cur Antonius imperator singulis diebus Theriaca utebatur instar Aegyptiæ fabæ? An ut corpus ab imminentibus tueretur morbis?

Cur aqua frigida calefacit, & calida sæpe refrigerat? An quod frigidum egendo calfaciat, calidum uero difflando refrigeret?

Cur aquam potamus, quæ tamen non nutrit? An iccirco potatur ut alimentum per corpus deducat?

Cur Hybernia serpentibus caret, neque noxium habet ani

mal præter lupum? Cur eadem importatos non alit asinos? An quia loca illa minime aquosa sint?

Cur extrema Hibridum insularum Hirtha est appellata? An ab Hircis ingentibus quibus abundat? eximia enim proceritate Asinos antecedunt:

Cur Aringa piscis ex ultimis arctoi maris partibus discedit? An ut in orbe nostro mollius æstiuet, ouaq; deponat?

Cur in Scotiæ insula folia quarundam arborum, cùm in mare deciderint, in anates conuertuntur? An id fit occulta Oceani potestate?

Cur Hiberniæ populi, horrido & circumtonso ad aures capillo, recisaq; sæpe barba, & labro superiore intortis setis ad terrorem hirsuto incedunt? An ut bello ferociores appareant?

Cur apud eosdem dubius est in uniuersum fœminarum pudor, raraq; pudicitiæ laus? An quia in peramplis cubilibus integræ familiæ cubare soleant, & facilè tenebris uerecundiam extinguant?

Cur Holtoniæ populi post hordei, pabuliq; mensuram Acrifolij frondes in flamma perustas, & crepitantes in præsepibus equorum ponunt? An quia illo alimento sanari conuulsos, & uitalia foueri experimento didicerint?

Cur inter Scotos pugnatissimi existimantur, qui è Laudonia, Angusiaq;, & Pisa proficiscũtur? An quia eæ regionis Anglis æternis hostibus sint propinquæ?

Cur Scotorum fœminæ tàm cito puellaris ætatulæ flore amisso aniles, & insuaues induunt uultus? An ob multem edacitatem, uariisq; saporum irritamenta redundã

tiæ uitijs conficiantur?

Cur datur Scotorũ puellis lapis Gagates cum aqua tritus potandus? An ut hoc modo puellarum uirginitatem deprehendant? Meiere enim uitiatas statim cogit.

Cur cœpta sunt ex succino, siue ex ambra fieri puellarum monilia? An quod tonsillis, & anginis mederentur?

Cur dictum est bellum, omnium pater? An quia rerum summa a lito sit progenita? uel potius quòd rerum omniũ author sit?

Cur dictum est sublata lucerna nihil inter mulieres interesse? An quia omnes impudicæ futuræ sint, si peccandi sine teste facultas detur?

Cur olim noui mariti bulbos, & erutam manducabant? An quia Dioscoride teste, item columella Venerem excitant?

Cur aqua inter cutem gignitur? An ab epate refrigerato.

Cur calidas intemperies nũquàm comitatur cibi cupiditas? An quia cum his non repugnet frigidum esse uentriculum?

Cur magis caluities fit in sincipite? An quia illa capitis pars siccior sit? Caluities enim ex siccitate oritur.

Cur potius fit canities in temporibus? An quia humidiora sint, & musculosiora?

Cur olim capillos cedri liquori tingebant adoloscentes? An ut hoc modo nigri fierent.

Cur ueteres cappare ex oximelite, uel oxilæo in primis epulis utebantur? An quia cruditatibus prosit, confeTatq; iæcinoris obstructioni?

Cur fastigiata capita damnantur? An quia spiritus non nõ ita liberum meatum habeat?

Cur cerebrum commanducatum nauseam excitat? An quia unctuosum, sicq; in uentriculo natet?

Cur chamæmelum Soli ab Aegyptiis est consecratum? An quia febrim pellat, quæ a calore proficiscitur, uel quia plures medendi uires obtineat, sicq; Apollini medicinæ Deo consecratur?

Cur cibi craßiores exhibendi sunt in cœna? An quia melior concoctio in somno fiat?

Cur cicer prouocat uenerem? An quia nitrosas partes in cortice habeat?

Cur qui acrius inspicere cupiunt, alterum occludunt oculũ? An ut alterius oculi spiritus, alteri præsidio sint?

Cur sol, quo magis in alto est, hoc minores iacit umbras? An quia minus oblique feriat?

Cur Panthera solis bestijs bene olet? An quia simile, simili gaudeat?

Cur oscitamus, oscitantem dum conspicimus, et micturimus, cum meientem intuemur? An quia sic natura reminiscatur, exciteturq; ad similem repulsionem?

Cur uinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues, alios autem multum loquaces? An id uario corporum habitu euenit?

Cur in arboribus robustiores sunt partes aquiloni opposítæ, quàm quæ Austrum aut zephirum spectant? An quia Borealis spiritus magis condenset.

Cur cupresso non innascuntur cærastæ? An propter amaritudinem? Sed cur idem buxo accidit? An propter duriciem?

Cur cornua perusta dentes reddunt splendidiores? An quia optime extergant?

Cur coturnicibus ueratrum eſt alimentum? An ob natu=
ræ ſimilitudinem?

Cur cranium eſt craſſum,rarum,& cauernoſum? An craſ=
ſum,ut cerebrum melius tueatur? rarum & cauerno=
ſum,ut facile excrementa exhalent? eſt enim caput ue
luti caminus corporis?

Cur cranium eſt immobile? An ut ſit cerebri propugna
culum?

Cur creſcentibus aduerſatur uinum? An quia uinum natu-
ra ad caput feratnr? pueri autem grandiuſcula nacti
ſunt capita?

Cur qui crudis ſuccis referti ſunt uenæ ſectionem non ad=
mittunt? An quia robore carent?

Cur cucumeres urinam mouent? An propter nimiam hu=
miditatem?

Cur cucurbita ſummæ ceruici affixa ſanguinem à naribus
reuellit? An quia in diuerſa trahat?

Cui ſupinus decubitus damnatur? An quia renes calfa=
ciat, incendat ſanguinem, & ſpiritus exiſtentes in ue
na caua et arteria magna?

Cur deglutire facilius eſt quàm uomere? An quia ambæ tu
nicæ uentriculi deglutionem adiuuent,cum externa tan
tum uomitionem adiuuet?

Cur deſipiunt Senes? An frigiditatis cauſa?

Cur fit diabetes? An renum imbecillitate?

Vnde nam dulcedo prouenit? An a moderato calore?

Vnde prouenit dyſſenteria? An ab humore mordaci?

Vnde fit efflatus? An ab intercoſtalibus muſculis?

Cur Elephantiaſis in Alexandria plurimum inualeſcat?
An propter uehementem atræ bilis copiam? uel ob ſre

quentem salsamentorum usum?

Vnde nam fit Epilepsia? An à crassa pituita? uel potius à melancolico succo in meatibus uentriculorum cerebri retento?

Vnde nam oritur Erysipelas? An à flaua bile?

Vnde nam fiunt tertianæ? An à flaua bile putrescente?

Cur Euphorbium recens candidius, inueteratum uerò pallidius existit? An quia tenuuiores exhalent partes?

Cur excrementa interdum citius, interdum tardius, q̃ oporteat à natura expelluntur? An citus propter imbecillitatem retentricis facultatis, aut humoris acrimoniam? tardius uerò ob contrarias causas?

Cur uehementius exercitati altius dormiunt? An quia maiore indigerant spirituum instauratione?

Cur experrecti à somno sese contorquent? an ut uaporosa extrudant excrementa?

Cur fabacea farina faciei lentes exterit? an propter magnam extergendi uim?

Cur Nepita, Pulegium, ac etiam Dictamum menses prouocant? an quia aperiendi uim habeant?

Cur menstrua singulis mensibus profluuiunt? An quia sic natura instituerit ut fœminæ sese expurgent?

Vnde nam fit cottidiana febris? An à pituita?

Cur dicuntur febres Diariæ? An quia unum tantum diem nostra diuexent corpora?

Cur febribus acutis Hippocrates uinum exhibet? An ut concoctionem iuuet, uiresq; tueatur?

Cur ficus arenulas pellunt? An quia abstergendi facultate præditæ sint?

Cur fœmina mare imperfectior? An quia frigidior?

Cur geni-

Cur genitalia fœminea intus fuere formata? An quia in utero præ imbecillitate caloris foras propulsari non potuerint?

Cur Laurus perpetuò uiret? An ob calidum humido uiscidoq; temperatum quod ægre difflatur?

Cur fraxinum campestrem ita horrent serpentes, ut nec matutinas, nec uespertinas illius umbras quamuis longißimas attingant? An ob insitam priuatam uim?

Cur Tilia cum habeat corticē ac folia dulcia, fructū tamē eius nullum attingit animal? An quia amarescant fructus?

Cur Sorbo uniuersa folia decidūt cum cæteris arboribus paulatim id accidat? An qa uiscidū humorē nō habeat?

Cur Aminea uina senio fiunt meliora? An quia aquea pars absumatur?

Cur Apiana uina & alia quædam initio dulcia, austeritatem accipiunt ab annis? An quia in eiusmodi uino insint partes dulces & Austeræ? absumantur dulces & remanent austeræ?

Cur arteriam aut neruum amputatum regenerari non licet? An quia spermaticum sit membrum?

Cur arteriarum interceptiones uocem eripiunt? An ob consensum quem habent cum reuertentibus neruis?

Cur Arterijs tunica duplex? An quia tenuiorem materiam continent?

Cur Arteriæ dilatantur & contrahuntur? An illud prouenit à ui quadam quæ cordi inest?

Cur lac cum melle sumptum non cogitur? An quia incidēdo & abstergendo id prohibeat?

Cur Assa frixaq; siccius alimentum dant corpori, quàm

elixa? An quia coquantur à calore ſicco non autem humido?

Cur aſtringentia ſunt uentriculo grata? An quia roborãt?

Cur ſunt Athletæ morbis obnoxij? An quia cibi plurimum ingurgitent raroq́; corpora exerceant?

Cur Atra bilis, flaua eſt acrior, maiusq́; affert nocumentum? An quia difficilius educitur? uel quia ſæpe nos ad inſaniam adigit. ualde enim corpora exedit corroditq́;?

Cur prius attenuandi Craßi ſucci quàm euacuandi? An quia ſic facilius educantur?

Cur prominent aures? & cur ſunt Cartilagineæ? An ut facilius ſonum excipiant nec facile ledantur?

Cur debeant mora alijs cibis præcedere? An quia facillime in ſtomaco corrumpantur?

Cur uiſuntur nonnulli qui ſtercus euomant? An quia ileõ à morbo aliquo infeſtetur?

Cur Vultures odore unguentorum fugantur & ad cadauera aduolant? An quia his alantur, illis autem minime?

Cur ter nouenis crabronum ictibus interficitur homo? An quia tali numero ea inſit uis?

Cur ſcorpius uenenum in cauda gerit? An quod uenenum eius animalis ſit excrementum?

Cur mare grauidæ, minus laborant & in geſtatione & in partu? An quia mas ualidior ſit, meliusq́; ſe ſuſtentet quàm fœmina?

Cur Empetron herba quò magis abeſt à mari eò magis eſt ſalſa? An quod habeat uim attrahendi terræ partes magis ſalſas, quæ maris uicinia magis afflantur?

Cur salsa si plusculum calfacias, amara fiunt? An quia adustione amaritudo fiat?

Cur in mari mortuo, nullum uisitur animal, nulla ue planta? An ob nimiam amaritudinem?

Cur libidinosi hircum olent? An quia alarum odor ad libidinem incensis excitetur?

Cur conuiuiorum mystica lex iubebat aut tres cyathos aut nouem esse potandos? An quod gratiarum, aut musarum numerus respiciendus esset in conuiuijs?

Cur scripsere Veteres Baccho datas fuisse plures nutrices, cæteris uerò Dijs non ita? An ut significarent hūc Deum oportere pluribus Lympharum mensuris mansuefactum ac domitum moderatiorem ac mitiorē fieri?

Cur Græci ranarum informem partum girinos appellant? An à figura corporis in girum orbiculati? quò fit ut mira celeritate se quò uelint uoluant uersentq́;?

Cur Anconi Picentinorum ciuitate tale inditum est nomen? An à cubiti figura? gurges enim ac aquarū tumor circa ripas propter anfractum & amnis repercussum cubitalem speciem facit:

Cur accidit ut in metu uultus exalbescat? An quia sanguis ad uitalia refugiat?

Cur scorpius oblique ferit? An quia obliquum habeat aculeum?

Cur amor dictus est ebrietati similis? An quia calidos, hilares, & effusos reddat homines?

Cur Aegyptij Principis simulachrum ita repræsentabant ut oculum cum sceptro pingerent? An ut declararent quod sol est in cœlo, id, principem esse in populo?

Cur Abrotanū pueris exhibetur? An q̄a uermes interimit

Cur adolescentes faciem linunt cinere abrotani ex oleo calido? An ut barbam tardiusculè nascentem eliciant?

Cur Abrotano perfricandi sunt ægroti ante febris inuasionem? An ut à febrili rigore minus infestentur?

Cur uitanda nimia ciborum abstinentia? An quia nauseã inducit & prauos succus coaceruat?

Cur Acetũ biliosis utilißimũ, melancolicis aduersißimum? An quod hos refrigeret, illos uerò nimium exiccet?

Cur aceto imbecillo, citrij acor additur? An ut acrius fiat?

Cur lachrima ab oculis excernitur? An ob frigus quod condensat, inspissat, & constringit?

Cur cibi omnes (in quantum alunt) uel pingues, uel dulces sunt, magis tamen & minus? An quia simile alatur à simili?

Cur suauißime olentia; non paucam amaritudinem admistam habent? An quia odor calidi innitatur partibus quæ amaræ sunt?

Cur odorata; non exactè propriam demonstrant qualitatem & temperaturã? An ob substantiæ inæqualitatẽ?

Cur calida euacuant? An quia dissoluant in Vapore contentum humorem?

Cur desiccantia euacuant? An quia humores ebibunt?

Cur lac generantia modicè calfaciunt, nec tamen exiccãt? An quia sanguinem gignant ex quo lac fit?

Cur nutriens omne, dulce est? An quia temperata sint dulcia?

Cur dulcia sunt multa? An ob insitũ calorem ut mel? uel ob adscititiũ? ut sunt illa quæ ab igne præparantur?

Cur uina calidiora fiunt temporis progressu? An quia

aquosæ partes euanescant?

Cur non nulla uina facilius acescunt? An id accidit quia per uindemiam humiditate repleta fuerint?

Cur ad hipocondria ardentia: præstantior est omphacinus succus, quàm acetum? An quia non ita ut acetum mordicat? Debent certe sine ulla ui mitigari quicunq; sic affecti sunt.

Cur uina debilia: si calorem, uel motum uehementem patiantur, acescunt. fortia uerò seruantur? An quia omne ens à simili seruetur?

Cur nullum elementum nutrit? An quia nullam gustus qualitatem præseferat?

Cur bilis flaua semper est amara, atra uero semper acida? An flaua est amara ob caliditatem, acida uerò atra ob frigiditatem?

Cur pituita aliquando dulcis, aliquando salsa, aliquando uisa est acida? An ob uariam humorum admixtionem?

Cur lac potius acescit quàm amarescat? An quia minus calidum sit, quàm corpus temperata caliditate præditum?

Cur mel amarum fit? An quia illa quæ ita dulcia sunt ut ad eorum dulcedinem nihil addi queat necesse sit ut in consequentem pergant qualitatem?

Cur uina si primum austera sint, fiunt dulcia, deinde acria, postremo autem amara?

Vnde nam fiunt in capite furfures? An à serosis succis?

Cur gallorum ueterum ius, uentrem subducit, caro autem cohibet? An quod coctione nitrosas partes ad se ius trahat? caro autem exiccata cohibeat?

Cur gaudium nonnullos exanimauit? An quia spiritus cor deserat?

Cur gingiuas inflammatas lentiſcinum oleum ſanat? An quia ardentem diſcutit humorem?
Cur gladius ceram ſecando; hebeſcit? An quia omne agens in agendo ſimul patiatur?
Vnde nam oculorum glaucedo? An à magnitudine humoris criſtallini?
Cur gliciriza ſitim lenit? An quia humida ſit?
Cur lupinum epar, epaticis confert? An ob peculiarē quandam uim?
Cur hirto qui pectore ſunt, audaces habentur? An quia calido prædıti ſint corde?
Cur hominis ieiuni ſaliua; ſcorpionem enecat? An naturæ diſsimilitudine id accidit?
Cur icterici putant obiecta omnia pallere? An quia infectos tali colore habeant oculos?
Cur iecur nonnullis hominibus eſt in ſiniſtra parte locatum? An naturæ uitio id contigit?
Cur lac nocet dentibus atque gingiuis? An propter nimiam frigiditatem?
Cur lactuca ſoporem gignit? An quia craſſos humores procreat?
Cur lens & braſsica uiſum hebetant? An propter nimiā craſsitiem?
Cur lens ſi quis largius utatur Elephantiaſim & Cancros inducit? An quia melancolicum gignat ſanguinem?
Cur leonum oſſa medullæ ſunt expertia? An propter caliditatem nimiam.
Cur limacis caro bis cocta, aluum ſiſtit? Cur item limacum ſuccus, aluum ſoluit?
Cur humidi maxime ſunt longeui? An quia uita noſtra

in humido consistat.

Cur luna pauorem ac dolorem capitis parit ijs, qui sub eius lumine diutius commorati fuerint? An quia humores in capite existentes agitet, quos postea discutere non queat?

Cur marini pisces fluuijs gaudent? An ut melius refocillentur?

Cur uinum mœrorem discutit. an quia multum gignat sanguinem, multosq; procreet spiritus?

Cur supplices genua contingunt ad eaq; manus coniunctas tendunt? An quia insit hominum genibus religio quædam, longa gentium obseruatione usurpata?

Cur uillarum portis lupinum rostrum peruetustum præfigebatur? An quia ueneficijs resisteret credebant?

Qui fit ut Capræ non lippiant. An propter herbas quasdam ab eis commanducari solitas?

Quare Apri antequam fugæ se committant, uriname mittunt? An quia tam grauis et ponderosa sit, ut non nisi egesta fugæ non sufficiant?

Cur græci statuas non uelabant? An ut eorum lasciui mores exprimerentur at multo aliter faciebant Romani qui certe castissimi fuere (si cum græcis hominibus cõferas).

Cur pira cruda ægrotis negantur? An quia cibus hic etiã ualentibus oneri foret?

Cur pira pomaq; iumentis edenda exhibentur antequam aliò illa deferant & asportent?

Cur Abies, larix, palma, cupressus & ulmus, in longitudinem maxime crescant? An quia unistirpia sunt?

Cur poi Iunoni sacrificantes seruos, a cõuiuio reijciebãt? An

ut liberius sacrificarent?
Cur Carmani unguentis caput collinebant? An ut sic uini exhalationes repercuterent?
Cur Germanos ceruleos appellamus? An propter cæsios oculos?
Cur Galli sagittas helleboro collinebant? An ut transfixæ feræ in cibo delicatiores essent? rescindebant tamen partes quæ uulnus ambibant propter helebori contagium?
Cur Galli temporum spatia non dierum, sed noctium spatio metiebantur? An quia se, à Dite patre prognatos existimarent?
Cur Lacedemonij ante belli congressum Amori sacrificabant? An quod is unus uictoriam maxime pariat?
Cur Spartani, in hospitales dicti? An quia non omni tempore, sed præstitutis diebus Spartam liceret adire?
Cur Lacedæmoniorum Rex antequam pugnam iniret sacrificabat musis? An ut oratione digna promeret facinora?
Cur Mysi ab animantium esu abstinebant? An quia Deorũ cultui mancipati essent?
Cur Campani præ cæteris Italiæ populis elati & superbi? An ob agrorum bonitatem & fructuum urbisq; pulchritudinem?
Cur Bizãtij dicti fuere Acolasti? an ob nimiam intemperãtiam? sunt enim in Venerem atq; in uinum præcipites perpetuamq; in caupona uitam uiuunt?
Cur uino salem indere solemus? An ne stupescat? aut in acetum degeneret?
Cur piscatorum corpora cornea uideri solent? An quia astringat sal, siccet, alligetq;?

Cur Aegyptij mortuos ſale condibant? An quia ſic à putre dine uendicentur?

Cur homines craßiore calloſioreq́; cute minus ingenioſi habentur? An quia ſic purum liquidumq́; facile non queat tranſmitti?

Cur inter militares animaduerſiones ſanguinis mißio erat? An ut non minus medicina eſſet quàm pœna? id enim fiebat iјs, qui ſtupentis animi eſſent & à naturali habi tu declinarent?

Cur infantum corpuſcula perluantur aqua, in qua colliquatus ſit ſal? An ut occaleſcat umbilicus atq; cutis?

Cur ſomniculoſiores exiſtimamus qui capite ſunt ampliore? An quia quo amplius ſit conceptaculum, eò amplius capiat?

Cur nani ſiue pumiliones ſomno magis dediti ſint? An quia uaporum multa uis ad caput erigatur. quod uerò copio ſe attollitur. copioſe etiam remeet neceſſum eſt?

Cur hi quibus uenæ latiores apertioresq́; fuerint edacißimi ſunt? An quia eorum natura ſicca retorridaq́; ſit?

Cur Anacarſis ſcytha oleum appellabat inſaniæ pharmacum? An quia illo peruncti athletæ, magis inſanirent?

Cur creditum eſt ſolum hominem comitiali morbo eſſe ob noxium? An quia hominis cerebrum prauis euaporatio nibus ſit maxime obnoxium, nec non frigiditate ſit atq; humectatione inſigni?

Cur ueteres ſacerdotes a capris abſtinebant? An quia mor bidæ ſit raròq́; febre careant?

Cur epilepſia ſeptentrionalibus raro contingit? An quia introrſum ſani ſint & calore exuperanti?

Cur ſi caducis à dextro morbus incipiat difficilior ſit cura

An quia à frigiditate motus impeditur?

Cur futurorum præsensiones tam difficiles existunt? An quia sensu nec sint, nec ullo tempore fuerint?

Cur cœlum corrumpi non potest? An quia ex contrarijs elementis conflatum & compositum non sit?

Cur puella conspecta; turgent mox pudenda? An ob con sensum uirtutis appetentis cum genitalibus?

Cur in pauore, cor emicat? An quia dum pauemus san guis ad interiora repens maiore indigeat refrigeratione quæ palpitando fit?

Cur exanguia animalia, præcisa per partes, uiuere, & mo ueri possunt quemadmodum & plantarum surculi? An quia imperfecta sit anima sentiendi ui prædita?

Cur serpentum genus pedibus caret? An quia non egeat?

Cur serpentium genus inflexionibus mouetur? An quia mo tiua uis ita illos agat?

Cur pedestria omnia; pares habent pedes? An ut alterna tim minus egre incedendo laborent? uel quia tali habi tu, sint, ut duobus pedibus insistere queant?

Cur homo, proceræ sit staturæ? An quia calidus sit? uel ut cœlum suspectet, uel ut manibus artes exercere poßit?

Cur infantes neque recte stare, neque commode ambulare possunt? An propter craßitiem superiorum partium?

Cur homines non sunt alati? An quia ad uolatum formati non sint, terrestriaq; & non aerea finxerit natura?

Cur Aues erectæ non sunt figuræ? An quia ratione carent nihilq; illis curæ sint cœlestia?

Cur cancri, præuios multos habent pedes? An ut tutius

incedant? atque è limo citius emergant?

Cur ignis, sine alimento durare non potest? An quia calidissimus ocijq; sit ualde expers?

Cur maior flamma minorem absumit & deuorat? An quia illius alimentum absumat sitq; natura comparatum ut ualidiora semper imbecilla magis ad se trahant?

Cur palustres arbores, citius intereunt? An ob alimenti uitium superuacaneamq; humiditatem?

Cur pinguia non putrescunt? An quia aerea?

Cur qui multo utuntur coitu, cito intereunt? An quia generatio unius sit? alterius interius uel potius quia natiuus calor effunditur?

Cur muli; equis & asinis diuturniores? An quia non coeant?

Cur passeres uitæ sunt breuissimæ? An propter nimiam salacitatem?

Cur in Scithia quàm paucissima gignuntur animalia? An propter frigiditatem nimiam?

Cur maiora animalia diuturniora sunt? An quia calidiora existant?

Cur Apes, plærisq; maioribus sunt uiuaciores? An quia siccæ minusq; excrementosæ sint?

Cur stirpes animalibus diuturniores? An quia altricem uegetiorem, paratumq; habeant alimentum?

Cur arborum sola natura; senescit & puberascit? An quia noua gignant germina?

Cur in stirpium genere, quædam, solo semine proueniunt, nonnulla uero auulsione, aut surculo? An quia alia perfecta, alia uero imperfecta sint?

Cur insectorum recisæ partes diu uiuere non possunt? An

Cur cerebrum commanducatum nauseam excitat? An quia unctuosum, sicq; in uentriculo natet?

Cur chamæmelum Soli ab Aegyptiis est consecratum? An quia febrim pellat, quæ a calore proficiscitur, uel quia plures medendi uires obtineat, sicq; Apollini medicinæ Deo consecratur?

Cur cibi craßiores exhibendi sunt in cœna? An quia melior concoctio in somno fiat?

Cur cicer prouocat uenerem? An quia nitrosas partes in cortice habeat?

Cur qui acrius inspicere cupiunt, alterum occludunt oculū? An ut alterius oculi spiritus, alteri præsidio sint?

Cur sol, quo magis in alto est, hoc minores iacit umbras? An quia minus oblique feriat?

Cur Panthera solis bestijs bene olet? An quia simile, simili gaudeat?

Cur oscitamus, oscitantem dum conspicimus, et micturimus, cum meientem intuemur? An quia sic natura reminisca tur, exciteturq; ad similem repulsionem?

Cur uinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues, alios autem multum loquaces? An id uario corporum habitu euenit?

Cur in arboribus robustiores sunt partes aquiloni opposi- tæ, quàm quæ Austrum aut zephirum spectant? An quia Borealis spiritus magis condenset.

Cur cupresso non innascuntur cærastæ? An propter ama ritudinem? Sed cur idem buxo accidit? An propter du riciem?

Cur cornua perusta dentes reddunt splendidiores? An quia optime extergant?

*Cur coturnicibus ueratrum est alimentum? An ob natu-
ræ similitudinem?*

Cur cranium est crassum, rarum, & cauernosum? An crassum, ut cerebrum melius tueatur? rarum & cauernosum, ut facile excrementa exhalent? est enim caput ueluti caminus corporis?

Cur cranium est immobile? An ut sit cerebri propugnaculum?

Cur crescentibus aduersatur uinum? An quia uinum natura ad caput feratnr? pueri autem grandiuscula nacti sunt capita?

Cur qui crudis succis referti sunt uenæ sectionem non admittunt? An quia robore carent?

Cur cucumeres urinam mouent? An propter nimiam humiditatem?

Cur cucurbita summæ ceruici affixa sanguinem à naribus reuellit? An quia in diuersa trahat?

Cui supinus decubitus damnatur? An quia renes calfaciat, incendat sanguinem, & spiritus existentes in uena caua et arteria magna?

Cur deglutire facilius est quàm uomere? An quia ambæ tunicæ uentriculi deglutionem adiuuent, cum externa tantum uomitionem adiuuet?

Cur desipiunt Senes? An frigiditatis causa?

Cur fit diabetes? An renum imbecillitate?

Vnde nam dulcedo prouenit? An a moderato calore?

Vnde prouenit dyssenteria? An ab humore mordaci?

Vnde fit efflatus? An ab intercostalibus musculis?

Cur Elephantiasis in Alexandria plurimum inualescat? An propter uehementem atræ bilis copiam? uel ob fre

quentem salsamentorum usum?

Vnde nam fit Epilepsia? An à crassa pituita? uel potius à melancolico succo in meatibus uentriculorum cerebri retento?

Vnde nam oritur Erysipelas? An à flaua bile?

Vnde nam fiunt tertianæ? An à flaua bile putrescente?

Cur Euphorbium recens candidius, inueteratum uerò pallidius existit? An quia tenuuiores exhalent partes?

Cur excrementa interdum citius, interdum tardius, q̃ oporteat à natura expelluntur? An citus propter imbecillitatem retentricis facultatis, aut humoris acrimoniam? tardius uerò ob contrarias causas?

Cur uehementius exercitati altius dormiunt? An quia maiore indigerant spirituum instauratione?

Cur experrecti à somno sese contorquent? an ut uaporosa extrudant excrementa?

Cur fabacea farina faciei lentes exterit? an propter magnam extergendi uim?

Cur Nepita, Pulegium, ac etiam Dictamum menses prouocant? an quia aperiendi uim habeant?

Cur menstrua singulis mensibus profluuiunt? An quia sic natura instituerit ut fœminæ sese expurgent?

Vnde nam fit cottidiana febris? An à pituita?

Cur dicuntur febres Diariæ? An quia unum tantum diem nostra diuexent corpora?

Cur febribus acutis Hippocrates uinum exhibet? An ut concoctionem iuuet, uiresq́; tuæatur?

Cur ficus arenulas pellunt? An quia abstergendi facultate prædita sint?

Cur fœmina mare imperfectior? An quia frigidior?

Cur geni-

Cur genitalia fœminea intus fuere formata? An quia in utero præ imbecillitate caloris foras propulsari non potuerint?

Cur Laurus perpetuò uiret? An ob calidum humido uiscidoq; temperatum quod ægre difflatur?

Cur fraxinum campestrem ita horrent serpentes, ut nec matutinas, nec uespertinas illius umbras quamuis longißimas attingant? An ob insitam priuatam uim?

Cur Tilia cum habeat corticē ac folia dulcia, fructū tamē eius nullum attingit animal? An quia amarescant fructus?

Cur Sorbo uniuersa folia decidūt cum cæteris arboribus paulatim id accidat? An qa uiscidū humorē nō habeat?

Cur Aminea uina senio fiunt meliora? An quia aquea pars absumatur?

Cur Apiana uina & alia quædam initio dulcia, austeritatem accipiunt ab annis? An quia in eiusmodi uino insint partes dulces & Austeræ? absumantur dulces & remanent austeræ?

Cur arteriam aut neruum amputatum regenerari non licet? An quia spermaticum sit membrum?

Cur arteriarum interceptiones uocem eripiunt? An ob consensum quem habent cum reuertentibus neruis?

Cur Arterijs tunica duplex? An quia tenuiorem materiam continent?

Cur Arteriæ dilatantur & contrahuntur? An illud prouenit à ui quadam quæ cordi inest?

Cur lac cum melle sumptum non cogitur? An quia incidēdo & abstergendo id prohibeat?

Cur Assa frixaq; siccius alimentum dant corpori, quàm

elixa? An quia coquantur à calore ſicco non autem humido?

Cur aſtringentia ſunt uentriculo grata? An quia roborãt?

Cur ſunt Athletæ morbis obnoxij? An quia cibi plurimum ingurgitent raroq́; corpora exerceant?

Cur Atra bilis, flaua eſt acrior, maiusq́; affert nocumentum? An quia difficilius educitur? uel quia ſæpe nos ad inſaniam adigit. ualde enim corpora exedit corroditq́;?

Cur prius attenuandi Craßi ſucci quàm euacuandi? An quia ſic facilius educantur?

Cur prominent aures? & cur ſunt Cartilagineæ? An ut facilius ſonum excipiant nec facile ledantur?

Cur debeant mora alijs cibis præcedere? An quia facillime in ſtomaco corrumpantur?

Cur uiſuntur nonnulli qui ſtercus euomant? An quia ileõ à morbo aliquo infeſtetur?

Cur Vultures odore unguentorum fugantur & ad cadauera aduolant? An quia his alantur, illis autem minime?

Cur ter nouenis crabronum ictibus interficitur homo? An quia tali numero ea inſit uis?

Cur ſcorpius uenenum in cauda gerit? An quod uenenum eius animalis ſit excrementum?

Cur mare grauidæ, minus laborant & in geſtatione & in partu? An quia mas ualidior ſit, meliusq́; ſe ſuſtentet quàm fœmina?

Cur Empetron herba quò magis abeſt à mari eò magis eſt ſalſa? An quod habeat uim attrahendi terræ partes magis ſalſas, quæ maris uicinia magis afflantur?

Cur salsa si plusculum calfacias, amara fiunt? An quia adustione amaritudo fiat?

Cur in mari mortuo, nullum uisitur animal, nulla ue planta? An ob nimiam amaritudinem?

Cur libidinosi hircum olent? An quia alarum odor ad libidinem incensis excitetur?

Cur conuiuiorum mystica lex iubebat aut tres cyathos aut nouem esse potandos? An quod gratiarum, aut musarum numerus respiciendus esset in conuiuijs?

Cur scripsere Veteres Baccho datas fuisse plures nutrices, cæteris uerò Dijs non ita? An ut significarent hūc Deum oportere pluribus Lympharum mensuris mansuefactum ac domitum moderatiorem ac mitiorē fieri?

Cur Græci ranarum informem partum girinos appellant? An à figura corporis in girum orbiculati? quò fit ut mira celeritate se quò uelint uoluant uersentq;?

Cur Anconi Picentinorum ciuitate tale inditum est nomen? An à cubiti figura? gurges enim ac aquarū tumor circa ripas propter anfractum & amnis repercussum cubitalem speciem facit:

Cur accidit ut in metu uultus exalbescat? An quia sanguis ad uitalia refugiat?

Cur scorpius oblique ferit? An quia obliquum habeat aculeum?

Cur amor dictus est ebrietati similis? An quia calidos, hilares, & effusos reddat homines?

Cur Aegyptij Principis simulachrum ita repræsentabant ut oculum cum sceptro pingerent? An ut declararent quod sol est in cœlo, id, principem esse in populo?

Cur Abrotanū pueris exhibetur? An qa uermes interimit

Cur adolescentes faciem linunt cinere abrotani ex oleo calido? An ut barbam tardiusculè nascentem eliciant?
Cur Abrotano perfricandi sunt ægroti ante febris inuasionem? An ut à febrili rigore minus infestentur?
Cur uitanda nimia ciborum abstinentia? An quia nauseã inducit & prauos succus coaceruat?
Cur Acetũ biliosis utilissimũ, melancolicis aduersissimum? An quod hos refrigeret, illos uerò nimium exiccet?
Cur aceto imbecillo, citrij acor additur? An ut acrius fiat?
Cur lachrima ab oculis excernitur? An ob frigus quod condensat, inspissat, & constringit?
Cur cibi omnes (in quantum alunt) uel pingues, uel dulces sunt, magis tamen & minus? An quia simile alatur à simili?
Cur suauissime olentia; non paucam amaritudinem admistam habent? An quia odor calidi innitatur partibus quæ amaræ sunt?
Cur odorata; non exactè propriam demonstrant qualitatem & temperaturã? An ob substantiæ inæqualitatẽ?
Cur calida euacuant? An quia dissoluant in Vapore contentum humorem?
Cur desiccantia euacuant? An quia humores ebibunt?
Cur lac generantia modicè calfaciunt, nec tamen exiccãt? An quia sanguinem gignant ex quo lac fit?
Cur nutriens omne, dulce est? An quia temperata sint dulcia?
Cur dulcia sunt multa? An ob insitũ calorem ut mel? uel ob adscititiũ? ut sunt illa quæ ab igne præparantur?
Cur uina calidiora fiunt temporis progressu? An quia

aquosæ partes euanescant?

Cur non nulla uina facilius accescunt? An id accidit quia per uindemiam humiditate repleta fuerint?

Cur ad hipocondria ardentia; præstantior est omphacinus succus, quàm acetum? An quia non ita ut acetum mordicat? Debent certe sine ulla ui mitigari quicunq; sic affecti sunt.

Cur uina debilia; si calorem, uel motum uehementem patiantur, acescunt. fortia uerò seruantur? An quia omne ens à simili seruetur?

Cur nullum elementum nutrit? An quia nullam gustus qualitatem præseferat?

Cur bilis flaua semper est amara, atra uero semper acida? An flaua est amara ob caliditatem, acida uerò atra ob frigiditatem?

Cur pituita aliquando dulcis, aliquando salsa, aliquando uisa est acida? An ob uariam humorum admixtionem?

Cur lac potius acescit quàm amarescat? An quia minus calidum sit, quàm corpus temperata caliditate præditum?

Cur mel amarum fit? An quia illa quæ ita dulcia sunt ut ad eorum dulcedinem nihil addi queat necesse sit ut in consequentem pergant qualitatem?

Cur uina si primum austera sint, fiunt dulcia, deinde acria, postremo autem amara?

Vnde nam fiunt in capite furfures? An à serosis succis?

Cur gallorum ueterum ius, uentrem subducit, caro autem cohibet? An quod coctione nitrosas partes ad se ius trahat? caro autem exiccata cohibeat?

Cur gaudium nonnullos exanimauit? An quia spiritus cor deserat?

Cur gingiuas inflammatas lentiscinum oleum sanat? An quia ardentem discutit humorem?

Cur gladius ceram secando; hebescit? An quia omne agens in agendo simul patiatur?

Vnde nam oculorum glaucedo? An à magnitudine humoris cristallini?

Cur gliciriza sitim lenit? An quia humida sit?

Cur lupinum epar, epaticis confert? An ob peculiarē quandam uim?

Cur hirto qui pectore sunt, audaces habentur? An quia calido præditi sint corde?

Cur hominis ieiuni saliua; scorpionem enecat? An naturæ dissimilitudine id accidit?

Cur icterici putant obiecta omnia pallere? An quia infectos tali colore habeant oculos?

Cur iecur nonnullis hominibus est in sinistra parte locatum? An naturæ uitio id contigit?

Cur lac nocet dentibus atque gingiuis? An propter nimiam frigiditatem?

Cur lactuca soporem gignit? An quia crassos humores procreat?

Cur lens & braßica uisum hebetant? An propter nimiã craßitiem?

Cur lens si quis largius utatur Elephantiasim & Cancros inducit? An quia melancolicum gignat sanguinem?

Cur leonum ossa medullæ sunt expertia? An propter caliditatem nimiam.

Cur limacis caro bis cocta, aluum sistit? Cur item limacum succus, aluum soluit?

Cur humidi maxime sunt longeui? An quia uita nostra

in humido consistat.

Cur luna pauorem ac dolorem capitis parit ijs, qui sub eius lumine diutius commorati fuerint? An quia humores in capite existentes agitet, quos postea discute re non queat?

Cur marini pisces fluuijs gaudent? An ut melius refocillentur?

Cur uinum mœrorem discutit. an quia multum gignat sanguinem, multosq; procreet spiritus?

Cur supplices genua contingunt ad eaq; manus coniunctas tendunt? An quia insit hominum genibus religio quædam, longa gentium obseruatione usurpata?

Cur uillarum portis lupinum rostrum peruetustum præfigebatur? An quia ueneficijs resisteret credebant?

Qui fit ut Capræ non lippiant. An propter herbas quasdam ab eis commanducari solitas?

Quare Apri antequam fugæ se committant, uriname mittunt? An quia tam grauis et ponderosa sit, ut non nisi egesta fugæ non sufficiant?

Cur græci statuas non uelabant? An ut eorum lasciui mores exprimerentur at multo aliter faciebant Romani qui certe castißimi fuere (si cum græcis hominibus cõferas).

Cur pira cruda ægrotis negantur? An quia cibus hic etiã ualentibus oneri foret?

Cur pira pomaq; iumentis edenda exhibentur antequam aliò illa deferant & asportent?

Cur Abiés, larix, palma, cupressus & ulmus, in longitudinem maxime crescant? An quia unistirpia sunt?

Cur poi Iunoni sacrificantes seruos, a cõuiuio reijciebãt? An

ut liberius sacrificarent?

Cur Carmani unguentis caput collinebant? An ut sic uini exhalationes repercuterent?

Cur Germanos ceruleos appellamus? An propter cæsios oculos?

Cur Galli sagittas helleboro collinebant? An ut transfixæ feræ in cibo delicatiores essent? rescindebant tamen partes quæ uulnus ambibant propter helebori contagium?

Cur Galli temporum spatia non dierum, sed noctium spatio metiebantur? An quia se, à Dite patre prognatos existimarent?

Cur Lacedemonij ante belli congressum Amori sacrificabant? An quod is unus uictoriam maxime pariat?

Cur Spartani, in hospitales dicti? An quia non omni tempore, sed præstitutis diebus Spartam liceret adire?

Cur Lacedæmoniorum Rex antequam pugnam iniret sacrificabat musis? An ut oratione digna promeret facinora?

Cur Mysi ab animantium esu abstinebant? An quia Deorũ cultui mancipati essent?

Cur Campani præ cæteris Italiæ populis elati & superbi? An ob agrorum bonitatem & fructuum urbisq; pulchritudinem?

Cur Bizãtij dicti fuere Acolasti? an ob nimiam intemperãtiam? sunt enim in Venerem atq; in uinum præcipites perpetuamq; in caupona uitam uiuunt?

Cur uino salem indere solemus? An ne stupescat? aut in acetum degeneret?

Cur piscatorum corpora cornea uideri solent? An quia astringat sal, siccet, alligetq;?

Cur Aegyptij mortuos ſale condibant? An quia ſic à putre dine uendicentur?

Cur homines craßiore calloſioreq́; cute minus ingenioſi habentur? An quia ſic purum liquidumq́; facile non queat tranſmitti?

Cur inter militares animaduerſiones ſanguinis mißio erat? An ut non minus medicina eſſet quàm pœna? id enim fiebat ijs, qui ſtupentis animi eſſent & à naturali habi tu declinarent?

Cur infantum corpuſcula perluantur aqua, in qua colliquatus ſit ſal? An ut occaleſcat umbilicus atq; cutis?

Cur ſomniculoſiores exiſtimamus qui capite ſunt ampliore? An quia quo amplius ſit conceptaculum, eò amplius capiat?

Cur nani ſiue pumiliones ſomno magis dediti ſint? An quia uaporum multa uis ad caput erigatur. quod uerò copio ſe attollitur. copioſe etiam remeet neceſſum eſt?

Cur hi quibus uenæ latiores apertioreſq́; fuerint edaciſsimi ſunt? An quia eorum natura ſicca retorridaq́; ſit?

Cur Anacarſis ſcytha oleum appellabat inſaniæ pharmacum? An quia illo peruncti athletæ, magis inſanirent?

Cur creditum eſt ſolum hominem comitiali morbo eſſe ob noxium? An quia hominis cerebrum prauis euaporatio nibus ſit maxime obnoxium, nec non frigiditate ſit atq; humectatione inſigni?

Cur ueteres ſacerdotes a capris abſtinebant? An quia mor bidæ ſit raròq́; febre careant?

Cur epilepſia ſeptentrionalibus raro contingit? An quia introrſum ſani ſint & calore exuperanti?

Cur ſi caducis à dextro morbus incipiat difficilior ſit cura

tio? An quia dextra corporis ualidiora sint, minusq; spei ad sanitatem relinquant?

Cur consueuerant antiqui in harena cum essent, iugulatorum sanguinem recentem de iugulo decurrentem auida siti haurire? An quia sic comitiali mederentur morbo?

Cur comitialis morbus nonnullis lunaticus dicitur? An quia interlunio æditi hoc morbo corripiantur?

Cur panis difficilis cōcoctionis esse dicatur? An quia in stomacho diu resideat & si non satis coctus dilabitur hepar præfarcit simul & meseraicas?

Cur in aqua pereuntes primo quidē ima petunt, at ubi cō putrescere cœperunt emergunt & fluitant? An quia tabescens cadauer spiritosum fiat? aer uero præfractis poris leuißimum illud efficit?

Cur oua orbicularia & rotūda mares, oblunga uerò fœminas progignunt? An quia uirtutis pfectio in masculinis ouis ambiat æqualiter extremaq; contineat? In fœminis uerò à cētro longius abeat materia, in quo est uitalis calor?

Cur fœminæ barba carent? An ob testiculorum imbecillitatem?

Cur capita nostra fuere capillis contecta: An ut ornatiora conspicerentur? uel potius, ut extinctum frigus repelleretur?

Cur Grypos amant persæ? An quia Cyrus quem magnopere amarunt & coluerunt Grypus esset, hoc est adunco naso?

Cur uinum ieiuno stomaco maxime uitandum? An quia sic epotum conuulsiones inferat deliriaq;?

Cur uehemens fames canina dicitur? An quia insigniter famescant canes?

Cur canes nō sine magno nixu & cruciatu excernunt? An quia intestinum parte qua uentri iungitur, laxius sit parte uero qua desinit arctius?

Cur ursi manus cæteris partibus suauiores? An quia magis moueantur ac exerceantur est enim functio duplex incedendi & apprehendendi percoquentia corporis alimentum præstant carnem quacunque alia suauiorem cō coquit autem præcipue quod difflat id uerò est quod mouetur quodq; execretur?

Cur nubentium capita uelari consueuerunt? An ut se maritis obnoxias perpetuò futuras intelligerent, ac proinde humilitatem præstarent? uel potius id pudoris gratia factitatum dicemus?

Cur lepores sunt oculorum aciæ minime acuta? An quia exporrectis sint oculis, palpebris uerò præcisis & quæ pupillis munimenta nulla præbeant?

Cur leporum uisus hebes est atq; diffusus? An quia somno perditū sit hoc animal, quod uisui parum conferre creditur uel quod nimis uolox sit, uelocitas enim obtundere uisum a multis existimatur?

Cur medici ægroti pulsum tangentes dant operam ne ægrotus manum constrictam uel protensam habeat? An quia isto sanè modo neruis & Arterijs uis inferatur.

Cur in dextro brachio tangendus est pulsus? An quia illic maxime uigeat calor?

An quia à frigiditate motus impeditur?

Cur futurorum præsensiones tam difficiles existunt? An quia sensu nec sint, nec ullo tempore fuerint?

Cur cœlum corrumpi non potest? An quia ex contrarijs elementis conflatum & compositum non sit?

Cur puella conspecta; turgent mox pudenda? An ob consensum uirtutis appetentis cum genitalibus?

Cur in pauore, cor emicat? An quia dum pauemus sanguis ad interiora repens maiore indigeat refrigeratione quæ palpitando fit?

Cur exanguia animalia, præcisa per partes, uiuere, & moueri possunt quemadmodum & plantarum surculi? An quia imperfecta sit anima sentiendi ui prædita?

Cur serpentum genus pedibus caret? An quia non egeat?

Cur serpentium genus inflexionibus mouetur? An quia motiua uis ita illos agat?

Cur pedestria omnia; pares habent pedes? An ut alternatim minus egre incedendo laborent? uel quia tali habitu, sint, ut duobus pedibus insistere queant?

Cur homo, proceræ sit staturæ? An quia calidus sit? uel ut cœlum suspectet, uel ut manibus artes exercere poßit?

Cur infantes neque recte stare, neque commode ambulare possunt? An propter craßitiem superiorum partium?

Cur homines non sunt alati? An quia ad uolatum formati non sint, terrestriaq; & non aerea finxerit natura?

Cur Aues erectæ non sunt figuræ? An quia ratione carent nihilq; illis curæ sint cœlestia?

Cur cancri, præuios multos habent pedes? An ut tutius

incedant? atque è limo citius emergant?

Cur ignis, ſine alimento durare non poteſt? An quia calidiſſimus ocijq́; ſit ualde expers?

Cur maior flamma minorem abſumit & deuorat? An quia illius alimentum abſumat ſitq́; natura comparatum ut ualidiora ſemper imbecilla magis ad ſe trahant?

Cur paluſtres arbores, citius intereunt? An ob alimenti uitium ſuperuacaneamq́; humiditatem?

Cur pinguia non putreſcunt? An quia aerea?

Cur qui multo utuntur coitu, cito intereunt? An quia generatio unius ſit? alterius interius uel potius quia natiuus calor effunditur?

Cur muli; equis & aſinis diuturniores? An quia non coeant?

Cur paſſeres uitæ ſunt breuiſſimæ? An propter nimiam ſalacitatem?

Cur in Scithia quàm pauciſſima gignuntur animalia? An propter frigiditatem nimiam?

Cur maiora animalia diuturniora ſunt? An quia calidiora exiſtant?

Cur Apes, plæriſq́; maioribus ſunt uiuaciores? An quia ſiccæ minusq́; excrementoſæ ſint?

Cur ſtirpes animalibus diuturniores? An quia altricem uegetiorem, paratumq́; habeant alimentum?

Cur arborum ſola natura; ſeneſcit & puberaſcit? An quia noua gignant germina?

quia instrumentis egeant naturalibus?
Cur plures sensus in capite sunt collocati? An quia caput sit ueluti arx, & specula quædam totius corporis?
Cur mortem frigidam et exanguem dixere poetæ? An quia in sanguine & in calida ui consistat uita?
Cur carbones cineribus operti non extinguuntur? An quia expetitum fomentum habeant?
Cur ieiunia sitim efficiunt? An ob penuriam alimenti quò fit ut corpora ab innato calore exiccentur?
Cur terrestria in aquis, & aquatiqua in terris strangulantur? An quod terrestria non respirent in aqua aquatiqua uero a calidiori aere suffocentur?
Cur animam ex sphæricis constare atomis dixerit Democritus? An quia anima sit actionum fons et origo athomi uero motui maxime accommodati existunt?
Cur muscæ & culices in solo perstrepunt uolatu, cicadæ uerò etiam stantes canunt? An quia muscæ dum uolant tantum agitent fistulam cicadæ uero etiam quiescentes illam mouere possunt?
Cur ambigua animalia in terris pariunt? An quia magis terrestria quam ambigua sint?
Cur præstantiora animalia pulmones habeant? An quia maiori egeant respiratione?
Cur in senectute, mors dolore careat? An quia sensus omnes labefactati sint?
Cur iunioribus quàm senioribus maiores sint pulsus? An quia calidiores existant?
Cur delphines cum apparent tempestatem futuram significant? An quia in ipso tempestatis initio calidæ exhalationes attollantur ab imo maris quæ ad delphinos per=

uenientes ipsos calfaciunt sicq; calidiores facti frequen tiori refrigeratione indigent ?

Cur pueri uelocem habent pulsum ? An ut eorum cali= dum facilius refrigeretur ?

Cur lapides excocti maiore sunt pondere ? An quia igne solidiores fiant ?

Cur animalia quæ cornua non habent , non sunt utrinque dentata ? An materiæ penuria id contigit ?

Cur præteruolantes grues pyramidem aliquò quidẽ modo depingunt ? An ut minus defatigentur ?

Cur cera nullo quidem negocio oleo immiscetur , non sic autem uino aut aquæ ? Cur mares citius in utero per ficiuntur ?

Cur uelox incrementum uitæ breuitatem indicat? An quia humidum facilius extenditur faciliusq; absumitur ?

Cur pueri & mulieres ad lachrimas sunt tam propensi ? An quia humidiori sint natura ?

Cur in brutis fœminæ ; maribus loquaces minus existũt? quàm in his qui ratione præditi sunt? An quia fœminæ brutorum frigidiores sint,nostris autem ob ingenij le= uitatem id accidit :

Cur senes fere omnes querula sunt natura,anteactaq; tem pora nunquam non laudant ? An quia illis ob imbecil= lam ualetudinem multa deesse uideantur cum tamen non naturæ rerum sed senili infirmitati ascriben= dum sit ?

uiros? An quia monstri simile sit fœminas repreſentare uiros, uiros autem mulieribus similes esse?

Cur seniores qui sunt, optime memoria tenent quæ iuuenes didicere, quæ uero in senili ætate pceperunt facile obliuiscuntur? An quia quæ in iuuenta perceperunt spectra, diuturniorem habitum contraxerunt? quæ uerò hebeti iam sensu in senecta comprehenderunt facile euanescant?

Cur Grues serenitatem prænuntiant? An quia præsentientes aeris mutationem, nouam quærant regionem?

Cur serenitates quæ noctu cœperint, inconstantes esse solent? An quia nullum sit astrum luna inconstantius cuius ui, nocturnæ serenitates fiunt?

Cur qui larignam potarunt Resinam si mingant, bene olet illorum urina? an quia cum tenuissimæ sit substantiæ facile ad urinarios se transferat meatus, suoq; odore urinam inficit?

Cur audaces & iracundi existunt, quibus elata uox contigit? an fortaſſe calor est in causa?

Cur qui Gonorrhæa laborant, nullo cum uoluptatis sensu genitale semen emittunt? an quia laxiores sint meatus semenq; minus excoctum?

Cur multis accidit ut præ nimio coeundi desiderio penis non intendatur? an quia ex nimio coecundi desiderio calore genitalia destituantur quo maxime, penis intendi solet?

Cur seminis profusiones quæ cum uoluptate fiunt, uigilantibus non accidunt? an quia naturales facultates in somno uegetiores sint?

Cur amantes, ademptum sibi cor restitui flagitant? an

quia

quia amans in amato uiuat ? uitæ autem sedes est cor?

Cur qui perdite & efflictim amant, facile succenseri con suenerunt ? An quia spiritus inflamati magis sint, hu moresq; magis ebulliant ?

Cur Amor in amante, uoti compote facto, languidior fit? An quia quæ absunt, desiderari soleant, non quæ præ sentia sunt ?

Cur maxime uoluptuosi, quales sunt Scurræ & Lenones, minus amore capi solent ? An quia familiaritas con=temptum pariat ?

Cur Amantes incendio se absumi queruntur ? An quia af fectus ille spiritus commoueat ex eaq; commotione incendium oriatur ?

Cur uehementius amant, qui amoris ardorem cohibere co nantur ? An quia eundem renittendo augeant ?

Cur frequenti prouerbio usurpatum est, Timorem addere alas ? An quia insitum natura sit, ut quisque se suaq; tueatur ?

Cur alij ocyus, alij serius, iram ex animo suo expuunt, atque euomunt ? An quia alij magis, alij minus affectio num tenaces sint ?

Cur frequentius coeuntes, minus uoluptatis ex coitu ca-piunt ? An quia quo minus angusti sunt meatus, tanto minor sit titillatio ?

Cur ieiuni & celerius rem uenerem perficiunt & maio rem uoluptatem inde trahunt ? An quia ieiunis semen

uerò adulterium exercere? An quia illa maiori uertantur dedecori, quæ contra naturæ propensionem fiunt?

Cur cadauera eorum qui aquis absorti periere, in primis ima petunt, mox autem attolluntur? An tum attolluntur, cum putredinem sentiunt? Putredo enim leuiora corpora facit?

Cur exoriente sole stellæ omnes delitescunt? An quia nimia lux solis oculis circunfusa, quæ obscuriora sunt, abscondit?

Cur Culices non omnes, morsu impetunt, muscæ uerò nullo quidem discrimine omnia attentant & inuadunt? An quia muscarum appetentia minus cohiberi queat?

GABRIEL IOLITVS LECTORI S.

NOn alienum mihi uisum est admonere te studiose lector, relictas fuisse de industria Quæstiones aliquot minime solutas. scito itaq; non alio id factum esse consilio, quàm ut legentium ingenia exercerentur, exacuerenturq; studiosorum coniecturæ: erant etiā aliquot errores castigandi in postremo follio; sed quia eiusmodi uisi sunt, ut uel mediocriter doctus, facile per se corrigere queat, non castigatos omisimus. Vale.

FINIS.

